



27075.
F
VI
h








CR IV 99
BIBLIOTHECA
STRAHOV
REGIAE
CANONIAE
PRAGAE
BOHEMIAE



SEBASTIANI PISSINII LVCENSIS MEDICI ATQVE PATRITII

De Cordis Palpitatione cognoscenda, & curanda

Libri Dvo.

Ad nobilissimum Virum

Lavrentivm Cenamvm Patritivm Lvcensem.





FRANCOFVRTI

Apud Claudium Marnium & heredes Ioannis Aubrii,

cIɔ Iɔcix.

87.





Perill[ri] ac Nobilissimo viro

LAVRENTIO CENAMO PATRITIO LVCENSI,

SEBASTIANVS PISSINIVS S.



ARTEM Medicam reges olim excoluisse traditum est: ac nunc quoque, quantum illa quidem potest, Ambubaiarum collegia, pharmacopolas, mendicos, mimas, balatrones, atque hoc genus omne aufugiens, apud nobilissimos quosque morari, iisque præcipua naturæ arcana communicare videtur. Inter quos te sæpe, Laurenti Nobilissime, admirati sumus, quòd omni virtutum ac scientiarum genere præclarum, tam apposite ac serio de rebus quoque medicis disserentem, ac hu-

mani corporis fabricam, earumque partium facultates, tum quibus illæ malis tentari possint, inuestigante audiuimus, vt exercitatissimis in re medica viris, haud iniuria comparari possis. Sed leuia hæc apud te; quem ob maximarum virtutum splendorem, nullus est qui non admiretur. Libellum hunc de Cordis Palpitatione, tuo nomini dicare, teque eius patronum eligere, ob eam rem decreuimus. Nec tamen eius tenuitas dissuasit. Versamur circa principem corporis partem, quam cunctarum, cum animi tum corporis, facultatum esse domicilium, celeberrimi philosophorũ sunt arbitrati. Obscure nimis id operis aggressi sunt nonnulli. Plerique ad ostentationem, de cordis affectibus, ac præter rem loquuti. Nec desunt qui sæpe vel in iis tradendis, quæ ingenii acumine inuenerunt; vel de-
claran-

clarandis, quæ antiquioribus conſcripta ſunt, longe à rerum veritate diſcedentes, decepti fuerint. Vnus Andreas Laurentius diligentiſſime quæ ſecundum naturam circa cor eueniunt, atque eleganter in libris anatomicis proſequutus eſt, Ea verò quæ præter naturam, qui declarauerit, neminem præter Galenum inuenimus. Is enim decem & octo libris, quos de Pulſibus conſcripſit, cordis præter naturam affectus, amplexatus eſt. Nec nos latet quoſdam inter recentiores extitiſſe, qui ſubtiliter quî dignoſcantur curenturq;, ſcripsere. Platerum in primis ob grauitatem ac dignitatem in dicendo admirabilem, atque Euſtachium quendam Rudium, qui de cordis virtutibus ac vitiis, vberius diſſeruit. Null' tamē pro rei neceſſitate ſatis. Permulta, ſcimus, & hîc deſiderabuntur; quin aliqua fortaſſe minus


recte dicta, aut ſtatuta videbuntur. Sed cenſurę modũ legentibus, ſi qui erunt, relinquimus; ac tibi maxime omnium, Laurẽti optime; nã nimis aſpera, nimis ſeuera, nobis iudicibus ea foret. Quãuis enim labor non exiguus acceſſerit, leue tamen, ac rude euaſit opus. Sed placuit iam qualecunque tandem fuerit, illud emittere. Turpe enim duximus, cum tantum nacti ſimus otii (nos enim non ægrorum numerus, quemadmodum plurimos, eoſque celeberrimos hac in vrbe viros fatigat, ſed cum obequitãdi neceſſitas non cogat, ſedentes domi quieſcimus) nõ in aliquo rem medicam, cui ſemper addicti fuimus, quoad vires noſtræ ferunt, iuuare. Ac licet Apolline dignius atque Æſculapio ii peragant opus, dum morbi vi preſſos eleuant; languentes vel longe petitis auxiliis erigunt; blanda, ſuaui, ac ſpe plena

oratio-

oratione, morbos, morborumque calamitates demulcent; tuto, cito, ac iucunde, febres, dolores, pallores, ceteraque id genus arcēt, ac depellunt incommoda: non tamen hoc munus quod ſuſcepimus, vtilitate penitus carere exiſtimamus. Nec verò pecuniarũ vtilitatem ſcurra hic aliquis improbus obiiciat. Tot enim aureorum millia, quæ ſingulis annis merito morbis profligatis, ac ſanitate reſtituta exigunt; nos ne quidem animo concepimus. Mederi, nobis, non lucrari eſt animus, ac multò minus pecunias congerere. Reiecti toties aurei, quin & ægrotantes, cũ quibus genius noſter reluctari viſus eſt, quod multi ex amicis noſtris nouerunt, eius rei fidẽ facere poſſunt amplam. Nam proxenetas conuenire, ac eorum ope peculiolas expiſcari, medico, tum ſi is honeſto loco natus fuerit, omni-

no indignum censemus. Sed vnde nam, & cur in hunc sermonem, digressi sumus? Scilicet, vt laudis magis, ac pecuniarum minus quàm oporteret, cupidine nos teneri ostenderemus. Atque hæc præcipue meminisse voluimus, vt inde, Vir præclarissime, cognosceres quàm gratum ac iucundum nobis futurum sit, si semel laborem hunc nostrum legeris. Scimus te plurimum in iis, quæ ad Rempublicã administrandam spectant, versari; vt ceteris ciuibus, qui nunc eius gubernaculo præsunt, quod tibi facillimum erit, similis efficiaris. Sed seria isthæc studia, quandoque remitti postulant. Vale ac diu feliciter secunda vtere ac fruere fortuna.

Lucæ, Kal. Ian. M DCIX.



INDEX EORVM QVÆ primo libro continentur.



INDEX EORVM QVÆ secundo libro continentur.

SEBA-



SEBASTIANI PISSINII DE CORDIS PALPITATIONE cognoſcenda liber I.

Finis, ac vtilitas huius tractationis proponitur. CAP. I.

COR nobiliſſimũ totius corporis viſcus, tam ſæuis ac immanibus excruciari conſueuit affectibus, vt cum nulla totius humani corporis parte crudelius cunctarum rerum opificem Naturã egiſſe, videri poſſit. Siquidẽ præter effrenes ipſiꝰ morbos, qui ſpiritus, vim, atq; ipſam adeo vitam depopulantur, nulla eſt quãuis indignioris muneris exercitatrix, quanuis ignobiliorem ſortita materiem, quanuis à corde remotiſſima corporis pars, quæ vel leuiter affecta, cor ipſum in morbi conſenſum pertrahere nõ audeat, ac illi noxam quamcitiſſime impertiri, à quo primum vitalia accepit exordia, vitamque haurit aſſiduam. Quin quæ ſponte è ſinu telluris exiliunt, in ho-

minum perniciē deinceps excogitata venena, cordi ipſi, ceteris ne quidem partibus deturbatis, immortale bellū indixiſſe videntur. Necem quoque ſpirantia dum ſæua veneni ſpicula impuro eructant ore, aut impuriorem animā gerentia, ex oculis quoque virus eiaculant; cor ipſum impetere. Si qua labes circunfluum infecerit aërem, cor primū inquinatur. Si purus extiterit, ſed paulo ardentior, cordi ſpiritus ſubripiuntur: ſin humidior, labefactantur. At longe magis infelicior eſt cordis conſtitutio, quod non ab iis tantum quæ ſunt, ſed & ab iis quæ omnino non ſunt, oblæditur, obruitur, vita ſpoliatur. Inanis, ac repentinus timor, qui tandem nihil eſt; vehemens, atque improuiſum gaudium, nonne cor, eiuſque vires oppreſſere, ac diſſipauere? Sed, quæ deterior eſt conditio, cum certis quibuſdam indiciis, vnaquæque corporis pars, morbos, quibus conflictatur, oſtendat, ac languescens medelam expoſcat; ſolū hoc viſcus, dolores, ac vulnera corde premit, nec vt cetera, tā aperte conqueritur. Quanuis enim ſiquis acrius intueatur, quib. illud, licet obſcure, proprias cōmonſtret ægritudines, indicia minime deeſſe videātur:
Arteria-

Arteriarũ tamẽ pulſus, ex Plinio, in cacumine membrorũ, euidens index fere morborũ, in modulos certos, legeſq; metricas, per ętates ſtabilis, aut citatus, aut tardus, deſcriptas ab Herophilo medicinæ vate miranda arte, nimiam propter ſubtilitatẽ deſertus. Vnde nec mirum ſi, quod grauiſſimum eſt, ſæpius medicinam non ſentit. Quis enim eſt, qui diligentius eas, quæ velut eius morborum querimoniæ ſunt, ex arteriarum pulſu notas contempletur? Nam licet carpo manum admoueāt, cum nunquam eius motus rationem, ac diſcrimina didicerint: nec quibus illud tētetur vitiis decernere, nec opem ferre valent. Qui enim longinqui ſunt cordis morbi, cum in iis dilatio medelæ, quod inde in inſanabilia vitia dilabātur, valde mala ſit, niſi cito dignoſcantur (dignoſcũtur vero difficillime) exitiũ afferre certũ cōſueuere. Breui vero necantes citius quā vel ab exercitato deprehendātur artifice, interimere. Nec eſt vt cordis frigiditatẽ quæ morti ſimillima eſt, aut ſiccitatẽ ineuitabilẽ, feruoremq; qui ſtatim vniuerſo corpori cōmunicatur, vulnera, inflāmationes, aut ſyncopas, aut eas q̃ in ipſo cōcipiũtur putredines hoc loco cōmemorẽ, cũ

Cap. I.

ſatis ſuperque ipſa præcipue de qua pertractare decreuimus, quàm graues, quàm pertimeſcendæ ſint cordis affectiones, apertiſſime ſignificet palpitatio. Verũ cum illa quidem manifeſte vires euertere, motumq; cordis exturbare conſpiciatur; non tamen vnde ſit læſionis origo, ſtatim intueri licet. Eius rei difficultatem, tot inter ſe pugnantes, recens ac priſce ſcribentium ſententiæ declarant. Imo plures eaſq; longe inter ſe differẽtes affectiones, cum ſub vno *Palpitationis* vocabulo tum Hippocrates & Galenus, tum & ex iis quoq; qui rem medicam minime pertractarũt, non pauci complexi fuerint; vnicam tamen palpitationis definitionem, tum curationem eſſe, nonnulli cenſuerũt. Signa quibus vnaquæq; cordis affectio, ex qua palpitatio oritur, qui ſit conatus oſtendere, reperii neminem. Ea vero ab ipſa rei neceſſitate deſumuntur, ac quam diligẽtiſſime explorantibus arterias, tandẽ manifeſtantur. Vnum tamen Galenum multa de iis tradidiſſe non inficiamur, quin eius plurimum rationibus ac experimento innixi, quod non abſolute, omnino adiũgendum; quod obſcure, declarandum; quod minus recte dictum videri poſſit,
expo-

exponendum suscepimus. Quomodo remoueantur à corde quicunq; palpitationem morbi excitant eius visceris, aut causæ præter naturam, à principio nobis propositum. Sed cum non vnam eandemque esse tot ægritudinum, quas sub palpitationis nomine proponunt, curationem didicerimus: idcirco opus fuit singularũ naturam, causas, ac differentias explicare. At cum non aggredi curationem liceret, antequam an esset ineunda determinatum esset, de futuris circa cor ab his affectionibus, euentibus, ante curationem sermonem habuimus. Quæ cum & ab indicationibus quoque significari debeat, eas prius indicasse visum est opportunũ. Sed vt vnaquæque demum causa à reliquis seiungeretur, ob id indicia cuiuscunque causæ præposuimus. Ipsas vero causas ante perquirimus, eas ab inuicẽ distinguentes. Quæ vero sint affectiones hoc nomine designatæ, ante hoc totum præmittimus, ac nominis, tum affinium quoq; vocabulorum vim priori loco significationemque perpendimus; Græcis interim non ad ostentationem, sed ad ipsius tractationis robur ac necessitatem sæpius vsi contextibus. Hinc autem tractationis initium auspicabimur.

Cap. I.

Quid σφυγμός. CAP. II.

CVm aliquando quam nos appellá-mus vehementem arteriarum motionem (Græci antiquo vocis vſu σφυγμὸν vocant, Ariſtoteles σφύξιν) iidem παλμὸν nominauerint; ac quoniam decernere quid illis σφυγμὸς fuerit, non tantum ad cognoſcendam cuiuſuis palpitationis eſſentiam, ſed eius præcipue quæ in corde fit, plurimum conducat: idcirco primum aperiendum eſt quid antiquiores medicinæ ſcriptores per σφυγμὸν intellexerint. Nã ſexto de Hippocratis & Platonis decretis cap. primo, aliam extitiſſe pulſus ſignificationem apud antiquos, ab ea qua ipſe vtitur diuerſam Galenus ſcribit. Is igitur quarto de diff. pulſ. cap. ſecundo hæc habet: ὡσαύτως οὖν ὅταν ἀναγνῶμεν ἔν τινι τῶν παλαιῶν ἰατρῶν βιβλίῳ, σφύζειν τὸ φλεγμαῖνον μόνον μόριον, ἢ τὴν ἐπὶ φλεγμονῇ κίνησιν τῶν ἀρτηριῶν σφυγμὸν ὀνομάζοντας μόνην, ἐπὶ δὲ τοῦ κατὰ φύσιν ἔχοντος τοῦ σώματος οὐδέ ποτε χρωμένους τῇ προσηγορίᾳ, λογιζόμεθα μὴ πᾶσαν ἀρτηριῶν κίνησιν, ἀλλ' ἤτοι τὴν μεγάλην καὶ σφοδρὰν, ἢ τὴν αἰσθητικὴν αὐτῷ τῷ κάμνοντι προσαγορεύεσθαι σφυγμόν. Quo loci non quemuis arteriarum motum, pulſum eſſe appellatum docet ex antiquorum monimentis, ſed eũ

qui

qui præsertim in parte quapiam inflammata sit, & sensum quendam doloris afferre solet, σφυγματώδη ἢ σφυγμώδη Græci, nos *pulsatorium*, aut *pulsatiuum* vel *pulsatilem* appellamus. Fit verò quoniam arteria percutit, dum dilatatur, corpora circumiecta: & percussio propter inflammationem dolorem affert. Cum verò iam inflammatio tunicam occupauit, tum & percutiens ipsa, & percussa, dolorem duplicem creat. atque hæc est pulsus in inflammatis partibus origo, quem veterrimi σφυγμὸν nuncupauere: οὗτος μὲν ὁ τρόπος ἐστὶ τοῦ κατὰ τὰ φλεγμαίνοντα μόρια σφυγμοῦ, καὶ τοῦτον μόνον ἐκάλουν οἱ παλαιότεροι σφυγμόν. ὕστερον δὲ καὶ πᾶσαν αἰσθητὴν κίνησιν ἀρτηριῶν ὡσαύτως ὠνόμασαν, vt secundo de loc. aff. capite tertio. Hæc omnia Galenus septima aphorismorum sectione, illum explanans aphorismum, *A forti in vlceribus pulsu*, aperte declarat. In vlceribus enim inflammatis, pulsus (σφυγμὸς) fit non ferente carne incumbente arteriis, illarum motum, sed dolente quando se attollentes exciderint. Est enim huiusmodi pulsus, sensus quidam cum dolore, ex arteriarum motione factus, quas neque ab initio sentiebamus, cum membra se haberent secun-

CAP. II.

dum naturam, tum quia eorum adhæſus non eſt moleſtus, tum quia in ſpatio laxiore mouentur. Membris verò inflammatis, & loci anguſtatio, & diſpoſitio dolorificæ, triſtem afferũt laborantibus ſenſum ex motu arteriarum: quem non ſolũ medici, ſed omnes homines *pulſum* (σφυγμὸν) vocant. Eſſe tamen hanc arteriarum motionem, *pulſum* appellatam, quanuis non ſemper dolorem inferret, modo ſenſibilis eſſet, libro de tum. præt. nat. cap. octauo, ſub his verbis pronunciatum eſt: ἀχώριστος γὰρ φλεγμονῆς μεγάλης ὁ σφυγμός. οὕτω γὰρ ἐοίκασιν ὀνομάζειν οἱ παλαιοὶ τὴν αἰσθητικὴν κίνησιν αὐτῷ τῷ κάμνοντι τῶν ἀρτηριῶν, εἴτε χωρὶς ὀδύνης, εἴτε καὶ σὺν ταύτῃ γίγνοιτο. Dummodo igitur qui prius non ſentiebatur pulſus, vehemens efficiatur, ſecundum hanc ſignificationem, *pulſus* dicetur. Talis vbi fuerit, iam ſenſibilis propter vehementiam euadet. Dico autem ipſi ægrotanti ſenſibilem eſſe, ac vel non admota manu ſentiri. Sed clariora erunt iſta ex Galeno, libro Quod animi mores, cap. octauo, vbi quid ſignificauerit Hippocrates per venam in brachio pulſantem, aperitur: οὐδέπω δὲ πᾶσαν ἀρτηριῶν κίνησιν ὠνόμαζον σφυγμόν, ἀλλὰ μόνον τὴν αἰσθητὴν αὐτὴν αὐτῷ τῷ ἀνθρώπῳ

θρώπῳ πάντως οὖσαν σφοδράν. Ἱπποκράτης δὲ, ὡς καὶ πρῶτος ἄρξας τοῦ μετὰ ταῦτα κρατήσαντος ἔθους εἴρηκέ που σφυγμὸν ἁπασῶν τῶν ἀρτηριῶν τὴν κίνησιν, ὁποία τις ἂν εἴη. Sunt autem, siue cum dolore, siue absque dolore fiant, omnes istæ motiones à calidis affectibus excitatæ, quemadmodum dictum est in quartum de rat. vict. in acut. à Galeno: οἵ γε μὴν σφυγμοὶ κατὰ τὴν κεφαλὴν γινόμενοι, τουτέστιν αἱ τῶν ἀρτηριῶν αἰσθηταὶ κινήσεις, θερμασίας εἰσὶ πολλῆς συμπτώματα. De hac intellexit Hippocrates dum dixit in præsagiis: ἢν δὲ καὶ σφυγμὸς ἐνείη ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ. nam quod & inquit Galenus tertio in primum præd. cõmentario: ἤκουσα δὲ κἀκεῖ τινας μὲν ἀντὶ τοῦ σφυγμοῦ, παλμὸν εἰρῆσθαι, τινὰς δὲ κυρίως ἐπὶ τῆς σφοδρᾶς κινήσεως τῆς κατὰ ῥάχιν ἀρτηρίας· idem repetit primo in præsagiũ, vbi non tantum hãc motionem ægrotanti, sed & iis qui assistunt, aliquando manifestari scribit: ἐνίοτε μὲν αὐτῷ τῷ πάσχοντι μόνῳ, ἐνίοτε δὲ καὶ τοῖς ἔξωθεν ὁρῶσιν. Est autem hic motus arteriarum proprius, ceteris verò partibus non nisi quatenus habent arterias cõmunicatur. Arteriis enim solummodo pulsare conuenit simpliciter. Quod quidem *simpliciter* dixerim, verba Galeni causa extiterunt secundo de loc. aff. cap. tertio, καὶ πίνω καὶ τὸ

CAP. III.

σφύζειν ἀνωδυνως, ὑπάρχει μόναις τῶν ἀρτηρί-
αις, ὑγιαίνοντος τοῦ ζώου. nam quoquo modo
pulsare solis iis conuenit, siue bene valen-
te animali siue non, siue cum dolore aut
sine hoc, vt dictum est. Atqui sano etiam-
dum existente homine, non tantum ἀνω-
δυνως, id est *sine dolore*, arteriis pulsare con-
uenit, sed omnino citra sensum aliquem
illius in quo mouentur, nisi manum ad-
moueat. Quod etiam libro de tum. præt.
nat. capite octauo, dictum est: ἐν μὲν δὴ τῷ
κατὰ φύσιν ἀναίσθητός ἐστιν ἡμῖν ἡ κίνησις τῶν ἀρτηρι-
ῶν, ἐν δὲ ταῖς φλεγμοναῖς αἰσθητὴ σὺν ὀδύνῃ. Est i-
gitur σφυγμὸς sensibilis cum dolore aut
sine dolore, vel ægrotanti vel iis quoque
qui assistunt, arteriarum motus. Est & ali-
quando cum σφυγμὸς palpitationem si-
gnificat. vt enim Galenus de ration. vict.
comm. quarto, exponens quid Hippo-
crates per σφυγμὸν intellexerit: οἱ δὲ σφυ-
γμοὶ τί ποτε δηλοῦσιν οὐ πάνυ τι δῆλόν ἐστιν, ἐπειδὴ
κατὰ τῆς ἐν τοῖς φλεγμαίνουσι μορίοις ὀδυνηρῶν κινή-
σεων ἐπέφερον οἱ παλαιοὶ τοὔνομα, καὶ κατὰ τῶν παλ-
μῶν, καὶ προσέτι καὶ ταύτης τῆς ἐν ταῖς ἀρτηρίαις σφο-
δρᾶς κινήσεως. Cum autẽ non raro per παλ-
μὸν nobis hic arteriarum motus significe-
tur, opportunum erit quibusdam exem-
plis & authoritatibus hunc sermonem il-
lustrare;

lustrare; ita enim ad veram deinceps palpitationem accedemus. admonentes interim, non nisi secundum hanc significationem, *pulsum* esse antiquioribus Hippocrate vsurpatum. Is enim primus, vt dictum est, εἴρηκέ που σφυγμὸν πᾶσαν ἀρτηριῶν κίνησιν ὁποία τις ἂν εἴη. Ante igitur nomen *pulsus*, naturales arteriarum motiones, minime significabat, vt & primo de diff. puls. capite secundo, πρῶτος μὲν οὖν ἁπάντων ὧν ἴσμεν Ἱπποκράτης, τό, τε ὄνομα τοῦ σφυγμοῦ γράφει, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τέχνην οὐκ ἀγνοεῖν ἔοικεν. Scilicet vt ad cordis & arteriarum motum, qui vel bene valente animali fit, id nominis primus referret; quanquam & Hippocrates ipse antiqua interim sæpius nominis appellatione sit vsus.

παλμὸν aliquando pro σφυγμῷ usurpari. CAP. III.

QVod per σφυγμὸν antiquis significabatur, non raro παλμὸν appellatum esse dicimus, ac inter se commune quiddam habere. Vt enim ex Galeno primo in tertium de morb. vulg. περὶ δὲ παλμοῦ, ἔστι μοι περιττὸν ἐνθάδε, μή πως ἀναγκασθῶ καὶ περὶ σφυγμοῦ λέγειν, τινὰ κοινωνίαν ἔχειν φαινομένου πρὸς παλμόν. Quin sæpe παλμος pro σφυ-

γμῷ vſurpari conſueuit. Hippocratis enim contextus ex primo de morb. vulg. in hiſtoria Sileni ὑποχονδρίου παλμὸς συνεχὴς, id aperte ſignificat. Idē in tertio de morb. vulg. καὶ περὶ ὀμφαλὸν παλμὸς διὰ τέλεος. quanquam Galeno aliquando ſit ignotū quid per παλμὸν intelligendum ſit, nam tertio in primum pręd. comm. vbi examinat ea illius verba, οἱ κατὰ κοιλίην παλμοὶ &c. hæc habet: ἄδηλόν ἐστιν ἐπὶ τίνος συμπτώματος εἴρηται τὸ τῶν παλμῶν ὄνομα. Vbi tamen de palpitatione proprie dicta, aut de vehementi ſpinam perreptantis arteriæ motione, nomen illud eſſe pronunciatum affirmat. quemadmodum & in primum præſagiorum de hoc eodem arteriæ motu dictum eſt. Sed Ægimius, vel quicunque fuit author libri de palpitationibus, per παλμὸν vniuerſas arteriæ motiones intellexit: de quo Galenus quarto de diff. pulſ. cap. ſecundo, εὑρίσκομεν ὃν νῦν ἡμεῖς καλοῦμεν σφυγμὸν, ὑπ' ἐκείνου παλμὸν ὀνομαζόμενον. Longe autem clarius ex primo de diff. pulſ. cap. ſecundo, quæ fuerit eius viri ſentētia percipitur, vbi ſic de illo Galenus: ἰδίως κέχρηται τῷ ὀνόματι, καὶ πολὺ παρὰ τὸ τῶν ἄλλων οὐκ ἰατρῶν μόνον ἀλλὰ καὶ ἰδιωτῶν ἔθος, ἅπασαν ἀρτηριῶν κίνησιν, παλμὸν ὀνομάζει. Itaque ſecundum huius

huius viri decreta omnem arteriarũ motum significabit, atque id proprie, vt non niſi arteriis conueniat. In hanc eandem significationem apud Ruffum Epheſium *per cardium palpitare* ſcribitur, vt motum naturalem, *pulſus* ſignificet. Sic Plinio libro XXXII. cap. v. ranæ linguã ſupra cordis palpitationem, mulieri dormienti poſitam, vera reſponſa ad interrogationem elicere dicitur. Idem libro XI. cap. XXXVII. *Huc* (de corde loquitur) *præcipuus calor: palpitat certe, & quaſi alterum mouetur intra animal, præmolli, firmoque opertum membranæ inuolucro.* At Ægimius hoc nomine videtur abuti duplici de cauſa: tum quia omnem arteriarum motum comprehendere vult; tum quoniam ceteras omnes excludit partes, quæ tamẽ manifeſte palpitare videntur. In quo poſtremo errore Praxagoras quoque fuit. Quapropter à Galeno libro de Rigore cap. v. in hunc modum reprehenditur: ὅτι μὲν οὐκ ὀρθῶς ἐγίνωσκε μόναις ἀρτηρίαις ἀναφέρων τὸν παλμὸν, οὐ χαλεπὸν ἐξελέγξαι. At vero Praxagoras, licet arteriis tantummodo palpitationem adſcripſerit, pulſum tamen in iis poſuit à palpitatione differentem. Quin non pulſum tantum ac palpitationem; ſed & tre-

morem, ac conuulsionem quoque, arte-
riarum proprias statuit esse affectiones,
magnitudine tantum inter se discrepan-
tes. Eodem igitur cap. v. eius opinionem
Galenus recensens: σφυγμὸν μὲν ἐν τῷ κατὰ
φύσιν ἔχειν· παλμὸν δὲ καὶ τρόμον, καὶ σπασμὸν, ἀλλή-
λων μὲν διαφέρειν μεγέθει, κινήσεις δὲ εἶναι τῆς παρὰ
φύσιν. & eodem libro cap. I. ex eius mente
proposuerat, easque omnes non aliter
quam μεγέθει ἀλλήλων διαφέρειν. Sed παλμὸν
apud antiquos pro vehementi tantũ pul-
satione, quam etiam σφυγμὸν appellabãt,
vsurpatum esse, præter Galenum docet
Aretæus qui secundo de causis & signis
acutorum cap. VIII. vtraque nomina in e-
undem trahit vsum, venæ cauæ inflam-
mationem describens: ὀδύνη ἐπὶ δεξιὰ μᾶλ-
λον, καὶ παλμὸς τοῦδε παραμήκης, μέχρι τοῦ λαγό-
νος. μετεξετέροισι δὲ καὶ τῆς ἀρτηρίης τῆς παρὰ τὴν
ῥάχιν, ἣν ὁ σφυγμὸς ἐς τὸ ἕτερον ὑποχόνδριον δια-
σημαίνῃ. & in eiusdem morbi curatione
hæc ambo similiter pro vna eademque re
simul accipit, atque coniungit, dum dicit:
σφυγμὸς παλμώδης ἐν ὑποχονδρίῳ. vt per
pulsum palpitantem nihil aliud hic possit
intelligi, quam de vehemẽti arteriæ pul-
satione. Tot igitur, vt vis harum vocum
innotesceret, quæ multis, ipsarum rerum
igno-

ignorationis causa extitit, enarrare placuit. Nunc ad veram palpitationem. Cap. IV.

Quid propriè παλμός. Cap. IV.

QVæ vero proprie dicitur *Palpitatio*, ea nihil aliud est, quàm motus quidam præter naturam earum partium, quibus illa conuenire potest, dum dilatãtur. Describitur autem II. de sympt. causis cap. II. hoc modo à Galeno: ὁ ᾗ παλμὸς ἐστὶ μὲν διαστολὴ παρὰ φύσιν. Quibus verbis cum dicat esse *dilatationem præter naturam*, formam ipsius palpitationis, satis aperte complecti videtur. Alibi tamen *contractionem* adiungit; ne quis forte *contractionẽ*, quæ fit dum priorem ac sibi constitutum à natura locum dilatatæ per palpitationem partes rursus petunt, naturalem esse motum opinetur. Earum enim partium quæ naturâ immobiles constitutæ sunt, cum sede pelluntur, aut quouis impetu dimouẽtur, motus omnis ex loco præter naturam affectio est. Sub illegitimo igitur motu, cum nullum aliud sub quo collocari possit, assignatum genus inuenias, affectio ista continebitur: quod à Galeno secũdo de sympt. causis capite primo dictum est. Quare altera definitio, in qua *contractio*

additur, perfectior erit ex libro de Rigore capite quinto, διάστασις μὲν ἐστί τις καὶ συνίζησις παρὰ φύσιν ὁ παλμός. Hæc vero dilatatio, inordinata est, & vehemẽs: non enim ſemper eadem materiæ quantitas, nec idem est impetus. ac talem eſſe palpitationis motum Galenus VI. de loc. aff. cap. vltimo declarauit, dum colis palpitationem deſcripſit; commouebatur enim *ſine ordine, & violenter*: ἀτάκτως καὶ βιαίως. Hinc partes omnes quæ dilatari, atq; contrahi non poſſunt, excluduntur. Antecedens huius ſymptomatis cauſa, refrigeratio eſt; vt enim habetur II. de ſympt. cauſis cap. II. εὐλόγως ἢ καὶ τοῖς ψυχθεῖσιν ὁπωσοῦν μόριον οἱ παλμοὶ συμβαίνουσιν. Idem quoq;, vbi nullam excipit palpitationem, libro de Rigore, repetit: παλμοῦ μὲν δὴ παντὸς ἡ γένεσις ἐν τῷ ψυχρῷ. Proxima autem eſt flatus, ſiue ſpiritus, vt dicitur II. de ſympt. cauſis: ὥστε ἀνάγκη τὴν ἐργαζομένην τοὺς παλμοὺς αἰτίαν, ἀερώδη τινὰ οὐσίαν ὑπάρχειν. & libro de Rigore: ὥστε καὶ παλμῶν αἰτία, οὐσία μὲν τὸ πνεῦμα. Id quoque modus quo palpitatio ſoluitur, demonſtrat; nam & ſubito fit, & ſtatim deſinit. Non autem quenuis ſpiritum excitare palpitationem, dicendum eſt: cum ſi is ſubtilis admodum fuerit,

rit, Galeno authore, non tantum palpitationem, exitum ſibi quærens, non inducet; ſed abſque vllo ſenſu penitus euaneſcet. Craſſus igitur ſit oportet, & vaporoſus. Ita libro de Rigore: πνεῦμα παχὺ καὶ ἀτμῶδες οὐκ ἔχον διέξοδον, αἴτιον εἶναι φημὶ παλμῶν. ſecundo item de ſympt. cauſis: ἔοικε δ' ἄρα παχυμερής τις εἶναι καὶ ἀτμώδης. Rurſus in primum prognoſt. ἐμάθομεν γὰρ ὅτι τὸ σύμπτωμα τοῦτο διὰ πνεῦμα γίνεται φυσῶδες. & in primum prorrh. τὸν μὲν παλμὸν ἐδείξαμεν ὑπὸ φυσώδους γίνεσθαι πνεύματος. Siue igitur παχὺ, ἢ ὁμιχλῶδες, ἢ ἀχλυῶδες, ἢ φυσῶδες dicatur ſpiritus ille, id eſt *craſſus, aut nebuloſus, aut caliginoſus, aut flatulētus*, ſiue σκιῶδες qui hæc omnia Hippocrati quandoq; ſignificat, idem eſt; modo intelligas eſſe ſpiritū non facile reſolubilem, aut prorſus tenuem. Sed de his appellationibus, author ad Glauconē libro II. cap. VI. clarius in hunc modum: ὀνομάζεται δ' οὐ μόνον φυσῶδες, ἀλλὰ καὶ φῦσα τὸ τοιοῦτον πνεῦμα παχὺ καὶ ἀτμῶδες ὑπάρχον, οὐκ αἰθερῶδες τὴν οὐσίαν, οὐδὲ λεπτόν. Nec verò ſufficit, ſpiritum palpitationem efficientem huius naturæ exiſtere, ſed oportet vt ſit in magna quantitate reſpectu loci quo continetur: καὶ τὸ πλῆθος ἀξιόλογον, ὡς πρὸς τὸ χωρίον ἐν ᾧπερ ἂν ἑκάστοτε συνί- Cap. IV.

ςαται, vt ſecundo de ſympt.cauſis. Coercitum quoq;, nec libere effluere valentem, vt diximus, οὐκ ἔχον διέξοδον. An verò tenuis quoq; flatus, aut ſpiritus, reuera palpitationem inducat, inferius determinabitur. Sed quid ſit palpitatio, ac quomodo, & ob quam rationem fiat, ſatis eſt indicatũ. an eadem cordi contingat, poſthac examinandum.

Motum palpitationis deſcriptum cordi conuenire. CAP. V.

CVm ea tantum dilatatio, atq; conſtrictio, quæ in quauis dimenſione, pro temperiei diſcrimine, conſtitutos ſibi limites cuſtodit, *cordis* proprie dicatur *operatio*; dum vero, licet ex ſe cor moueatur, terminos innato calori, qui hoc motu fouetur, ii verò vnicuiq; peculiares ſunt, nauetur, ii verò vnicuiq; peculiares ſunt, natura præſcriptos prætergreditur, *affectio*: Nos poſtremum cordis motum, adhuc ſub *operationis* nomine contineri, & motũ qui cordi ex alia cauſa quàm ex vitali facultate accedit, *affectionẽ* in præſenti diſceptatione appellari volumus. neq; tamẽ à communi vſu recedimus, cum ſexto de Placit. hanc huius nominis ſignificationẽ Galenus amplectatur. An igitur cor affici

poſſit

possit palpitatione dum quęrimus, eiusne cauitates ab alio quàm à vitali facultate seu pulsifica distendi possint, inquirimus. Sermo autem nobis est de ea, quam attulimus palpitatione ex libro de rigore, & de symptom. causis. Leonardus Iacchinus in IX. Rasis: Certũ est impropriè per similitudinem quandam dici *palpitationes*, nec enim vt illę, ex flatuoso spiritu exitum quærente fiunt; neq; similem prorsus motum, qualem in palpitantibus musculis conspicimus, debemus intelligere: sed genere motus inordinati sunt, & in hoc palpitantibus similes, vt inæquales alii, alii maiores, aut minores sentiantur, vt quidam aliquando quasi saltus appareat, vnde & *saltum* alii dixere. *Tremor* vero dicitur cum minores sunt pulsationes, & crebrę, pulsui languido & crebro similes. hic enim externo tremulo motui similatur. Galenus quoq; potius per quandam similitudinem, quàm verè, aliquãdo motum hunç in corde & arteriis fieri, visus est affirmare. nam IV. de diff. puls. cap. III. sic habet: παρὰ φύσιν γὰρ ἐχόντων καὶ παλμώδης, ἢ κλονώδης, ἢ σπασμώδης, ἢ τρομώδης ἡ κίνησις φαίνοιτο τῶν ἀρτηριῶν, οὐδὲν ἄτοπον ἐστὶ τὸν σφυγμὸν ὀνομάζεσθαι ποτὲ μὲν σπασμώδη, ποτὲ δὲ κλο- Cap. V.

νώδη, ποτὲ ἢ παλμώδη, ποτὲ ἢ τρομώδη. Id etiam in hisce motionibus, quod arteriæ videātur imitari modo conuulsionem, modo palpitationem, euenire scribit, libro de Rigore cap. v. in hunc modum: ἐγὼ μὲν γὰρ καὶ πάνυ νομίζω σαφῶς τὴν ἀρτηρίαν οὐ μόνον παλμώδες, ἀλλὰ καὶ σπασμῶδές τι πολλάκις ἐμφαίνουσαν εὑρίσκειν. Qua etiam ratione primo de præsag. ex pulſ. cap. iv. pulſum non conuulſiuum, ſed *quaſi conuulſiuum* dicit, καὶ τὸ οἷον σπασμώδη. Sed cum palpitatio diſtentio ſit quædam ac ſubſidentia præter naturam, diſtendi autem manifeſte inter ceteras corporis partes, cordis cauitates, & ratione & ſenſu perſpicuum ſit, quod pertinet ad partis naturam, nullum videtur adeſſe impedimentum. Quin cum vſus expoſtulat, maiorē pulſum cor edens, dilatari illas præter modum oſtendit. Facultas etiam, licet vnicum iugiter præſtet officium, dilatando atq; contrahendo, id tamen permittere videtur. Non enim per contrarias lationes cor ipſum eodem tēporis momento, ferri contingit, aut quieſcente facultate, à cauſa præter naturam diſtendi. nam & ipſe humorum impetus motui cedit modo facultatis, & ipſa facultas viciſſim opprimitur, non tamē deſiſtit

ſiſtit vnquam motum diſtẽtionis incho- Cap. V.
are, quoniã non in humoribus intra cordis cauitates exiſtentibus, nec in ipſis vẽtriculis, ſed in eius ventriculorum tunicis poſita eſt. Ipſi porro humores, cordis ſinus occupantes, id prorſus fieri demonſtrant. nam quemadmodum affluentes circa cordis regionem humores, quòd iis excipiendis, ſecundum priorem diſtentionem cauitas dilatata minime ſit idonea, dilatant ac diſtendunt amplius; ita vbi cum quantitate aduenientis materię, impetus coniungatur, antequam contrahi prorſus cor poſſit, iterum diſtendi coget. Id vero inæqualiter, vt aliquando cordis motum inſequatur materia nouũ in corde motum inducens; nonnunquã enim dum per internos ventriculorum parietes concluſus humor excurrit, diſtentionis motum; quòd non inde vehementiori impetu conetur erumpere, quippe tenuis ac facile transfluens inſequitur, ac ſubſequente contractione coercetur; plerũque fortioribus ſubſiliens ictibus, dilatationem producit, vel ſubſidentes iterum cauitates, vbi nondum quietis tẽpus aduenerit, ante abſolutam contractionem repellit. Cum igitur nec facultas id prohi-

beat, ac partis natura permittat, certe nihil obstare videtur, quin motus hic palpitationis cordi quoq; communis efficiatur. Quod Galeno antiquiores qui σφυγμικὴν pertractarunt, verum esse deprehenderunt. Ii nanq; alium præter pulsum in corde & arteriis motum collocauere. quod quidē colligi potest ex iis, qui pulsum, naturalem esse motum cordis & arteriarum definierunt: scilicet vt non naturales cordis motus à pulsu seiungerent. His enim IV. de diff. puls. cap. III. dictum est, κινήσεις αἰσθητὰς κατά τε τὴν καρδίαν τε καὶ τὰς ἀρτηρίας οὐ τὰς σφυγμώδεις μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς παλμώδεις φαίνεσθαι. Sed & Galenus ipse II. de sympt. causis, cap. II. eas partes enumerans quæ huic motui subiiciuntur, cor ipsum & arterias palpitare scribit, ac motum alium in iis, præter pulsum, animaduerti: ὥστε καὶ ταῖς ἀρτηρίαις, καὶ αὐτῇ τῇ καρδίᾳ φαίνεται συμπίπτων, ἑτέρας ταύτης κινήσεως ἐν αὐταῖς γιγνομένης παρὰ τὸν σφυγμόν. In his autē quos attulimus ex Galeno motibus, discrimine opus est: siquidem & *vibratus*, & *tremulus*, & *conuulsiuus*, non nisi secundum similitudinem dicuntur. *vibratus* quidē, quòd volantem in motu sagittam imitetur; *tremulus* & *conuulsiuus* ab earum partiū simili-

ſimilitudine, dum tremunt, ac conuellũtur, quæ ſolæ conuelli poſſunt, ac tremere. Sũt verò eæ, quæ arbitrario motu mouentur. At *palpitans*, quoniam eodem penitus motu mouetur, quo & muſculi, ceteræq; cauitates mouentur, dum palpitant. Sunt qui motum in cordis palpitatione deſcriptum, compoſitum quendam eſſe motum, ex cauſa præter naturam ac vitali facultate proficiſcentem, affirmẽt. at ſolius materiæ opus eſſe conſtat, nõ verò facultatis. hæc nanque vbi frigidus quiſpiam aut vapor aut humor cordis ſinus occupet, vel intermittentes, aut raros pulſus procreabit; tantum abeſt vt vehementes auſpicetur extenſiones. Præterea cum in ſolo corde ſæpius, & non in arteriis obſeruetur, ex facultate proficiſci nequit. ſi enim ab illa fieret, aut omnibus, aut ſaltem inſignioribus arteriis, communis eſſet, cum vna eademq; ſit cor extendens & arterias pulſifica facultas. Sed cũ ſit idem in corde, qui in cute & muſculis palpitantibus motus percipitur, an ſit eadem in corde, quæ eſt in reliquis partibus huius motus cauſa, iam perquirendum. Cap. V.

An cordis palpitatio ex flatu fiat.

CAP. VI.

ANtecedentem palpitationis cauſam frigidam eſſe intemperiem diximus, ex qua flatus, ac mox palpitatio fieri videtur. Oportet verò cordis cauitates, aut vtraſque, aut ex his alteram, flatuoſo quodam ſpiritu diſtendi, ſi palpitatio ad eundem ſane modum, quo in reliquis partibus fit, in corde ſit ſubſequutura. Sed vt Galenus inquit II. de temperamẽtis cap. III. partes illæ adeo calidæ ſunt, vt εἰς τὴν ἀριστερὰν κοιλίαν τῆς καρδίας καθέντι τοὺς δακτύλους, εὑρήσεις οὐκ ὀλίγῳ τινὶ τὸ χωρίον τοῦτο τῶν ἄλλων ἁπάντων θερμότερον. Quomodo igitur adeo cor viuente animali, refrigerari poterit? Neque nigræ ex caloris extinctione negotium nobis faceſſunt vrinæ, primo de criſibus cap. XII. & II. in prognoſt. allatæ: quemadmodum nec vitrea à Praxagora primum appellata pituita, quam vel ſenſu iudice, actu in inteſtinis frigidam reperiri, non raro contigiſſe tradunt, ac ſibi ipſi eueniſſe ſcribit Galenus. Exiles in inteſtinis arteriæ ac illarum tunicis exanguibus naturâ ac frigidis circunfuſus adeps, ſitus earum partium ab ipſo caloris fonte

fonte longe dissitus, frigidiorem intesti- Cap. VI.
norum constitutionem declarant; quanuis non raro sensus quoque decipiatur. Quod si nigræ, quæ ob caloris interitum excernuntur vrinæ, mortem non longe abesse denunciant, iam ad illam propius accederent ii, quibus cor & arterię ob frigiditatem palpitant; quos tamen à cordis palpitatione sæpius, quàm post nigrę, imo plumbeæ, aut liuescentis vrinæ excretionem, euasisse comperimus. Quę enim calidissimæ existunt corporis partes, ex quibus in vniuersum corpus calor effunditur, quomodo insigniter refrigeratæ, certum non afferent exitium? Confertim verò hanc suboriri frigiditatem, si debeat fieri palpitatio, necessarium videtur. quandoquidem ea, quæ paulatim accedit, refrigeratio, nec inæqualitatis in pulsu causa debet aut potest haberi, ac multo minus vehementiæ; quæ quidē si flatus cordis capacitatem occupet, fieri consentaneum est. Præterea nusquam frequentius hoc oriretur symptoma, quàm in iis, qui ex refrigerato iecore, hydrope laborant; qui tamen raro hoc palpitationis accidente corripi conspiciuntur. Ceterum si repente frigidus quispiā vapor cor sub-

eat, isque sit palpitationis effector, quæ illum via ducit in cor? Aut ex venæ cauę ascendentis trunco, vbi ingens sanguinis copia continetur, spiritus ab ipso sanguinis calore non attenuatus, viam sibi paret, aut ex leuibus arteriis in sinistrũ cordis ventriculum peruadat oportet. sed ob ingentem caliditatem, ac tenuitatem, eius qui in arteriis continetur, sanguinis, hæc fieri non est verisimile. Si verò flatus in dextro cordis ventriculo coaceruatus, eundem exagitaret, duplex perciperetur pulsatio, altera in sinistra, altera in dextra thoracis parte, quod tamen experientiæ repugnat. At qui inspiratu ad cordis refrigerationem attrahitur aer, nunquam tam crassus existit, vt inferendæ palpitationi sit accommodatus. Sed vix perceptibiliter, ad cordis dilatationẽ, in iis partibus, in quibus & crassi succi, & vaporum abũdat copia, hiantia quæcunq; sint arteriarũ ora, quid tandem asportare vaporis poterunt? ea etenim vt III. de nat. fac. ostẽsum est, nihil quod crassum aut impurum sit, effatu dignum attrahunt. Quòd si quid alliciant, cum minimum illud sit, ab ipsarum arteriarum calore, dum in maiora caloris receptacula, quà ad cor itur, se
trans-

transfert, attenuetur, ac dissipetur prorsus CAP. VI.
necesse est. Huc accedit, frigidorum venenorum exhausta pocula, ex quib. certe si ex omni alia occasione, crassus ac non facile resolubilis vapor enascitur, & quæ cor vitalis facultatis domicilium, quod præcipue aggrediuntur, impetunt, nunquam tamen inducere palpitationem esse deprehensa. Verum si tanta flatus copia gignitur circa cor, quomodo naturalis cordis motus non tollitur? Ac si tollitur, quomodo per hos affectus, calor naturalis non extinguitur? Ex ipsius quoq; Galeni placitis, si palpitatio sanguinis missione curatur, quomodo ex flatu pendet? nam sanguinis missio, ob refrigerationem, flatuum copiam augere potest. Adde quod per febres acutas, qui palpitatione corripi solent, plurimum pereunt. Acutis vero febribus vix eo habitu præditi tentantur, quoniam frigidiores sunt. Flatum igitur ex frigiditate progenitum, nequaquam in corde inueniri posse quicũque opinantur, his sane rationibus instare possunt. Quæ tamen omnes non difficili negotio euertuntur. Primum itaque quomodo flatus fiat, est aperiendum. De

eo intelligendum quem ſupra deſcripſimus, quem φύσαν Græci appellant, & de quo Galenus III. de ſympt. cauſis cap. II. περὶ δὲ τῶν ἀτμωδῶν πνευμάτων, ἃ δὴ καὶ φύσας ὀνομάζουσιν &c. Cauſa eius efficiens, caloris defectus eſt, ſeu moderata frigiditas. Quę enim ſyncera eſt, vt ibidem dicitur, prorſus halitum non facit, quòd nec alimenta conficiat, neque humores attenuet, aut diſſoluat. Fortis vero calor, ob contrariã rationẽ, flatum gigni nõ ſinit, quòd prorſus atque amplius quàm pro halitu generando attenuet. At calor qui agit quidem, ceterum diminute, is quodam quidem modo diſſoluit, non tamen prorſus conficit. Non igitur in ſumma caloris imbecillitate, vel cum idem nimium eſt vehemens; ſed in iis qui inter hos ſunt ſtatibus, flatuoſum gignitur excrementum. Materies verò aut ſuccus quiſpiam pituitoſus, aut eſculentum quid eius naturę ac flatuoſum, ſtatuenda eſt. Cum ergo moderata frigiditas ea ſit, quæ flatus eſt procreatrix, nihil obſtat, quin, vbi ſanguinis temperies, à calore moderato ad frigiditatem declinat, aut frigidiores factæ fuerint præcipuæ corporis partes, flatus abũdet copia. At vero flatus hic ſiue arterias,

ſiue

siue venas occupet, facile ad cor vsq; de- CAP. VI.
ferri poterit. Sed & aliunde in ipsas arterias, ac deinde in cor ipsum potest influere. nam, vt ex Galeno de pulsuum vsu cap. v. arteriæ ex circundato aëre, non exiguam in se portionem recipiunt. Quod & ab Hippocrate prius libro de natura humana dictum fuerat; atq; id est quod ab eodem dicitur: ὡς ἔκπνουν καὶ εἴσπνουν ἐστὶν ὅλον τὸ σῶμα. Aër itaq; cum sanguine, ac sanguis cum aëre in arteriis continetur. Quarto quoq; capite de puls. vsu sic habet: Arteriç cum se aperiũt, ad se πανταχόθεν, id est, *vndiq;*, trahunt; cum contrahuntur, in omnẽ partem expellunt. Inde fit vt arteriæ semper diffidentibus cernantur oscillis, quod scilicet propter alteram earum tunicam, quæ dura est, euenit. Oportebat enim nõ penitus eas conniuere, si aliquid semper attrahendum fuerat. In distentionibus enim in se attrahunt vt aliis omnibus oscillis, ita illis etiam quæ ad cutem pertinent, vt II. de causis puls. cap. postremo. tertio quoq; de nat. fac. cap. XIV. Aerem, quæ ad cutem perueniunt, arterias attrahere docet; quo loci, cum tenuissimũ esse omnium, quæ in corpore sunt, spiritum, deinde halitum quem *flatum* appellauimus (*est e-*

nim halitus humor attenuatus: ὁ γὰρ ἀτμὸς ὑγρόν ἐστι λελεπτυσμένον) ac tertio loco ſanguinem; ac ſanguinem mox ab arteriis nonnullis trahi cap.xv. ſcribat: certe ſi in aliquam ſedem, in qua flatus abundet, arteriarum ora pateſcant, flatum ipſum attrahent; cũ & longe craſſius excrementum aliquãdo aſſumant; ſcilicet, vbi ad eas partes, quæ impuro aluntur ſanguine, diſſeminatæ ſint. Sed fac intra venas craſſi ac viſcidi ſucci inueniantur, vt ſæpe fit, quid aliud accedente calore, quàm flatus, expectari poteſt? Hoc vero quod ratione probauimus, Hippocratis & Galeni authoritate confirmamus. Hippocrates nanq; ſæpius in venis & arteriis, quas ſub venarum appellatione complectitur, flatum reperiri affirmat. In libro igitur de Flatu, quem Erotianus vetuſtiſſimus poſt Hippocratẽ medicus, inter Hippocratis legitimos recenſet: *Cũ venæ circa caput aëre repletæ ſunt; primum quidem caput ipſum, propter flatus incluſos aggrauatur, deinde conuoluitur ſpiritus cum ſanguine, propter anguſtiam viarum:* ὅταν περὶ τὴν κεφαλὴν αἱ φλέβες γεμισθῶσιν ἠέρος, πρῶτον μὲν ἡ κεφαλὴ βαρύνεται τῶν φυσέων ἐγκειμένων. ἔπειτα ἐνειλεῖται τὸ πνεῦμα καὶ τὸ αἷμα διὰ τὴν στενότητα τῶν ὁδῶν. & paulo poſt: *Cum aer in*

venas

venas vltro receptus, ſanguinis meatus coarctat: ὅταν αὐτόματος ὁ ἀὴρ εἰσελθὼν εἰς τὰς φλέβας στενοχωρίην ποιήσῃ τοῖσι τοῦ αἵματος διεξόδοισι. Sed quid ferat, eodem loco dictum eſt: *Cum in craßiores atq; pleniores ſanguine venas, aer prodierit, progreſſusque diutius maneat, prohibet ſanguinis curſum, atq; alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius:* ἐπειδὰν οὖν ἐς τὰς παχείας καὶ πολυαίμους τῶν φλεβῶν πολὺς ἀὴρ βρίσῃ, βρίσας δὲ μένῃ, κωλύεται τὸ αἷμα διεξιέναι. τῇ μὲν οὖν ἕστηκε· τῇ δὲ νωθρῶς διεξέρχεται, τῇ δὲ θᾶσσον. Verum tam venas quàm arterias, & ſanguinem & aerẽ continere Galenus etiam VI. de vſu part. cap. XVI. his verbis docet: μετέχουσιν αἱ μὲν ἀρτηρίαι λεπτοῦ καὶ καθαροῦ, καὶ ἀτμώδους αἵματος· αἱ δὲ φλέβες ὀλίγου καὶ ὁμιχλώδους ἀέρος. Clarius adhuc libro de Plenitudine cap. VIII. *An vero ſi in quadam etiam particula vel in ipſis venis pituita, & cum ea, bilis aliqua, aut ſanies, aut ſpiritus flatuoſus,* ἢ πνεῦμα φυσῶδες, *adeo excreſcant,* &c. ex quibus intra venas flatum contineri aliquãdo, patet. Atque hæc quidem prolixius enarraſſe voluimus, ne quorundam nouiſſimè de cordis palpitatione ſcribentium, authoritate quis decipiatur. His enim, quod Galeno atque Hippocrati viſum eſt, ac rationi

CAP. VI.

consentaneum, impossibile censetur. Sed & ab ingenti quoque caliditate flatum oriri aliquando contingit, eumque palpitationis causam esse arbitramur. Neq; est hoc ipsum quod excogitauimus, pro nostro arbitratu commentitium. nam in ardentissimis febribus ab exurente calore, flatus abundare Galenus scribit, vt eã quę est ex humorum abundantia, eo tempore vasa sanguinem continentia, æmulentur ac mentiantur plenitudinem. libro enim de plenitud. cap. x. εἰ δὲ περικαὴς εἴη πυρετὸς, ἀναγκαῖον καὶ τό τε καίεσθαι τῷ σώματι, καθάπερ ζέοντι πνεύματος ἐσθαί τε καὶ χεῖσθαι. & paulo infra eodem capite, πνευματοῦνται γὰρ οἱ χυμοὶ θερμαινόμενοι. & libro de vsu puls. cap. VII. *Rationabilius igitur longe est, sicuti cum de spiritus difficultate agerem, est indicatum, vbi ex humorum deustione collectus fuliginosus vapor plurimus est, tum animal efflatum appetere.* Hippocrates etiam libro de Flatibus: *Liquesit quicquid ignea vis illa attigerit, fitq; inde spiritus:* τήκεται γὰρ πυρούμενον, καὶ γίνεται πνεῦμα ἐξ αὐτοῦ. His positis facile est propositis paulo ante difficultatibus satisfacere. non enim ad flatus generationem tanta frigiditate est opus, quantam equidem vitrea illa pituita expostulare videtur; imo si frigidi-

giditas intendatur, non procreabitur fla- CAP. VI.
tus; quanquam quæ actu talis percipiatur in corde frigiditas, nec nuper extincto animali deprehenditur. sed ibi calor, qui vel ceterarum partium calorem exuperet, per aliquod temporis spatium adseruatur, vt ab Hippocrate libro de Corde scriptum est, ac ipsum testatur experimẽtum. Licet vero à palpitatione facilius videantur euadere, quàm post nigræ vrinæ excretionem ægrotantes; tuta tamen prędictio erit in omni cordis palpitatione, vt dum de prognosticis huius affectus signis pertractabitur, dicetur, si mortẽ antę senectutis tempus affuturam pronunciemus: facultatę scilicet iam tunc existente imbecilla ipsius cordis vitali, aut ineuitabile aliqua ex iis, quas post enumerabimus, causâ ferente exitium. Flatus quoque, vel de propria temperie non adhuc corde depulso, aliunde accedit, cordisq; cauitates occupat, vt non repentinam illam in ipso corde exoriri frigiditatem necessarium sit, si fieri palpitatio debeat. Flatus autem sæpe, at non semper, à sanguinis calore attenuatur. crebro enim huiusmodi nos aggrederetur affectio, quæ nec omnes inuadit, nec nisi per interualla re-

currit. Ea tamen aduenientis flatus constitutio est, siue qualitatem siue substantiam respicias, quæ & inæqualitatem & vehementiam in pulsu potest inducere. Sed non est hîc attendenda quæ ex vitali facultate aut pulsifica cordis vasa distendente enascitur vehementia; cum ea de qua loquimur sit ipsius materię impetum facientis, non vllius facultatis operatio. Non corripit verò hydrope laborantes, vbi iam totius corporis intemperies sit valde frigida, aut vbi putrescens hydropicorum aqua, calore accedente flatus eleuari non sinat; sed antequam adeo refrigerentur, quod melancholicis commune est, quòd frigidi paulatim fiant, flatuũ ingens prouentus aspicitur. non tamen adeo frigidi efficiuntur, quin acutis quandoque febribus corripi queant; atque in his febribus moriuntur, tum propter ipsius febris naturam, quæ minime periculo vacat, tum ob vitalis vis imbecillitatem. Ob eandem rationem, quæ sua frigiditate enecant, figunt potius & incrassant humores, quàm flatus gignant, quæ tamen si calorem abundantiorem impingant, nec sit magna quæ exhibeatur quantitas, flatum procreare poterunt. Hic quidem etsi

cordi

cordi vicinas inuadat regiones, non tamen ob id motum cordis tollit, vt iam ostensum est, sed nonne manifeste tollitur aliquando? quid enim venarum interceptiones apud Hippocratē? nonne ex crasso ac viscido succo, aut frigido crassoque vapore fiunt? Nec opus est, si dextrū cordis sinum flatus extendat, vt ibi pulsatio adsit, tunc enim totū cordis corpus quatitur, vt inferius explicabitur. At dextri quoque lateris pulsationem quandoque fieri contingit, vt ex Cardano, cuius hæc, ex Arte curandi parua: *Memini me vidisse tres, quibus cor, solum in dextro latere pulsabat; quorum vnus eadē die, quòd vehementius pulsaret; alius post aliquot dies, mortui sunt. Tertius erat infans, & ciciderat; superuixit tamen.* Constat sane priores affectu pessimo in sinistra parte orto, hoc symptoma contraxisse, dum cor naturali vi atque instinctu, quod noxiū erat, refugere nitebatur. Vnde tam graui malo prope cor contracto, necesse fuit mortē breui subsequi. Quòd autem sanguinis missione curentur, non de omni palpitatione intelligendum est, sed de ea quæ ex sanguinis abundantia fit. Hæc illa palpitatio est, quæ secundo loco v. de loc. aff. cap. 11. à Galeno describitur;

Cap. VI.

ac ex qua per acutas febres pereunt. Hi e-
nim omnes, qui hac palpitatione infestari
solent, calidissimi sunt, & plurimo sangui-
ne abundant, vnde sæpius acute febrici-
tant. Flatus igitur qui sane maximus, vt ex
Hippocrate libro de Flatibus, est in o-
mnibus quæ corpori accidunt, & author
& dominus, huius quoque symptomatis
author erit. nec desunt, quibus ille, vbi
adsit, cognoscatur, indicia, quæ inferius
prosequemur. Ac tandem ceterorũ quo-
que viscerum, tum & musculorum palpi-
tationes, eodem tempore infestãtes, quo
cordis vrget palpitatio, eandem & in ipso
etiam corde causam existere, fidem faci-
unt. Quosdam enim nouimus, inter quos
nobilis patritius Lucensis dum hæc scri-
bimus, qui sæpius eodem tempore pluri-
bus in locis, ac in ipso corde palpitationes
passi sunt, atque erumpente flatu liberati.
Cur autem à Galeno III. de sympt. causis
dictum sit ingentem caliditatem, flatus
nequaquam procreare, cum alibi opposi-
tum quoque fieri doceat, non est huius
loci disquirere. Forte semper proxima
flatus causa, frigiditas est, quemadmodũ
in acutis febribus enatæ subito flatuosæ
hydropes ob naturalis caloris extinctio-
nem

nem testantur. aut ingens quidem calidi- Cap. VII.
tas flatum gignit, sed valde ad id accommodata, ex qua fieri flatus debeat, materie. Sedes tamen huius flatus in corde, conspicuæ cauitates sunt, nam propter visceris duritiem, non ob eam rationem in corde fit palpitatio ob quam in excitatis circa musculos cauitatibus. In his enim partibus, flatus ipse, cauitates ac sinus, quòd extensibiles sint, sibi fabricat, in corde autem ob eius densitatem excitare non valet.

Eandem palpitationem ab humoribus fieri.

CAP. VII.

QVo minus à Galeno palpitationis causa statuatur humor, hæc præsertim ratio videtur vrgere; scilicet non ita cito fluere ac refluere quis potest humor, vt flatus. soluitur enim celerrime palpitatio, cum illico fiat, & statim desinat. Citã igitur vacuationem, aut repletionem, aut distentionem, aut subsidentiam, aut depressionem, aut elationẽ, aut alium quendam motum, non nisi spiritus effecerit, ex Galeno libro de Rigore cap. v. Cordis tamen palpitationem, (eam semper intelligimus, quæ palpitantes musculos, cutem-

ve ipſam in motu imitatur, cum in illa magis ac magis veluti quodam impetu, cordis cauitates extendantur) non à flatu tantum, ſed & ab aliquo ſucco fieri dicimus. Imo ab hoc frequentius, raro autem à flatu. Sed præſtat diligentius enarrare quę corporis partes, ac quomodo palpitent. Cutis, muſculi, ventriculus, veſica, vterus, inteſtina, iecur, lien, ſeptum tranſuerſum, cor & arteriæ & vniuerſæ deniq; corporis partes, quæ diſtendi poſſunt, & dilatari, 11. de ſympt. cauſis cap. 11. enumerantur. Quarum quidem partium non vna eademq; natura. Cutis nanque nullas habet cauitates, ſed exorto inter illã ſubiectaſque partes flatu, ac exitum ſibi quęrente, cauitas fit; inter vero muſculos, cauitates adſunt, eæque extenſibiles. Cauitatum porro aliæ ſemper aliquid continent, aliæ rurſus non ſemper. At cauitatũ quæ humores continent, impetu quodã repleri ac diſtendi quædam poſſunt, aliæ paulatim replentur. Quæ confertim repleri aptæ ſunt, aut illabenti ſuſcipiendo humori ſufficiunt, aut plus irruit quàm quod illę capere poſſint. Atq; hæ poſtremo vel quò grauantem ſarcinam expellant, patentes aditus habent, aut in iis deinceps

inceps quicunque irrepſerit humor deti- Cap. VII.
neri cogitur. Vbi itaque cauitatem aliquā
plus æquo confertim ac non ſine impe-
tu, affluens replet humor, eaque commo-
de poteſt accurrentem in aliam ſedē reii-
cere, tunc eius partis palpitationem ena-
ſci continget: quemadmodum in corde
ipſo euenire fatendum eſt. Succus igitur
in cordis capacitate exiſtens celeriter flu-
ere ac refluere poteſt, quod vix ſpiritus i-
pſe ſi cauitatem circa cutem ſit effectu-
rus, fecerit. ac quoniam facilis adeſt, ac
breuis ad expulſionem via, illico fieri, ac
ſtatim deſinere motus ille videbitur. Sed
& Galenus ab influente quopiam ſucco
idem ſymptoma progigni non poſſe, non
abſolute pronunciauit. Eius verba ex ſe-
cundo de ſymp. cauſis c. 11. ſunt iſta: *Succus
autem nullus aut ita celeriter influit aut reflu-
it, potiſſimum* καὶ μάλιστα, *in iis partibus quas
modo memoraui circa faciem, vtpote in quibus
cutis ſupra nuda propemodum extenditur oſſa.*
quaſi in ceteris partibus non eadem pe-
nitus ratio ſit admittenda. Sunt autē quas
paulo ante recenſuerat, palpebræ, ſuper-
cilia, frons, & malæ, in quibus vtique o-
mnino Galeni ſententia veritatem ha-
bet. At vero in corde, licet quod illapſum

est, vi contractionis depelli videatur, non tamen aliqua facultas ad hoc efficiendũ concurrit: sed ad ipsius cordis contractionem id totum euacuari contingit, quod eius cauitates expleuerat. Non enim aut qualitas, aut pondus influentis succi, expultricẽ cordis vim eo tempore premũt; sed ipsa materiei moles, exitum sibi ipsa quærit, ac vbi datur occasio (ea vero est vbi cordis sinus contrahuntur) aliunde erumpit. Hinc, vt arbitror, manifestum esse potest, cordis palpitationem descriptam, à ceterarum partium palpitatione minime differre. Alias verò palpitationis species, quas inferius afferemus, cum facultatum cordis læsione fieri existimamus. Sed præstat iam, vt huius motus naturam facilius intueamur, declarare quomodo motus hic distinguatur à cordis motu, qui ex facultate prodit.

Quomodo alium à pulsu motum in palpitatione fieri sit intelligendum.

CAP. VIII.

AN in corde tantum pulsans illa reperiatur facultas, quæ cor ipsum, & arterias distendit, & contrahit; an verò in ipsis arteriis quoque collocata sit, non est nunc

nunc animus inquirere. Illud ſane ſuppónimus vnà cum corde, dum dilatatur, arterias diſtẽdi, contrahiq; illas, dum cor contrahitur. Quoniam autem eleuationẽ quandam, ac ſubſidentiam, palpitationẽ eſſe diximus, an qua eleuatio, ac ſubſidẽtia in corde quæ non ſentiatur in arteriis, vel in ipſis arteriis quæ cordi non communicetur, aut vtriſq; communis exiſtat, ſenſu, aut ratione dignoſcatur à pulſu, qui contractione ac diſtentione perficitur, diuerſa; an alius præterea motus interueniat, inueſtigare conamur. Cum igitur eadem ſit cordis, quæ eſt arteriarum dilatatio, & quæ palpitationem producit cauſa, in corde ſæpe, & non in arteriis contineatur, eædem tamẽ numero tam in corde, quàm in arteriis eodem tempore pulſationes obſeruentur; cordis cauitates & ab ipſa facultate diſtendi, nec non aliquando (quod fit in palpitatione) ab ipſa materia hoc inferente ſymptoma, arbitramur. Vt verò qualis nam ſit is qui fit in palpitatione motus, innoteſcat, quos motus & quomodo facultas in corde, & arteriis efficiat, aperiendum. Motus cordis diſtentione & contractione, ac media, inter has lationes, quiete, conſtat. Huius

Cap. IIX.



initium cor auſpicatur, quo etiam tempore moueri incipiunt arteriæ. Sed quædam huc ex Galeno III. de presag. ex pulſ. cap. II. & IV. pro huius diſquiſitionis explanatione ſunt afferenda; vt motus qui fit in palpitatione clarius concipi ac percipi poſſit. Tertio igitur capite, Corde exiſtente calido, frigidioribus tamen arteriis, maiorem, celeriorem, ac vehementiorem in corde, quàm in arteriis, pulſum fieri ſtatuit. in quarto autem, Corde exiſtente frigido, ac frigidioribus illo arteriis, tardum & rarum in corde, tardiorem verò & rariorem in arteriis. Quæ quidem & rationi & experimento aduerſari videntur. Rationi quidem, quoniam ſi ſtatuamus facultatem pulſum efficientem in ſolo corde collocatam eſſe, vt cenſuit Galenus, quod & tanquam verum ſuppoſuit ſæpius, ac ſic habere demonſtrauit demum eo in opere in quo quærit, An ſanguis in arteriis contineatur, nullo pacto crebrior eſſe poterit in arteriis, vbi rarior in corde fuerit: nam cum motus initium habeant arteriæ à corde, niſi cor prius motum aggrediatur, nunquã illæ mouebuntur. At ſi in arteriis quoque poſita ſit iſthæc facultas, vt nonnulli poſuerunt,

vnde celeriori & crebriori motu arteri- CAP. IIX.
as, postulãte vsu, impellat, quàm cor moueatur, non easdem numero, in eodem temporis spatio, in corde & arteriis pulsationes fieri necessarium erit, quod experimento aduersatur. Quod autem omnino sequeretur id quod experimento minime respondet, inde clarum est, quoniã si detur pulsus in arteriis celer, in corde tardior, conueniens est in arteriis quoq; vna cum celeritate frequentiam, si calor augeatur; in corde autem cum raritate tarditatem, si frigiditas, adiungi: eæ enim hoc postulante vsu, simul esse debent. Cũ ergo non habeat cor vnde ex frequentia, cum rarius & tardius moueatur, tarditatẽ resarciat, & ob id aliquid vel in vnica pulsatione temporis supersit, non parum in multis superesse oportebit, vnde plures numero in arteriis, quàm in corde pulsationes, eodem tempore fient. Quod autem & arterias, si id esset, eodem tempore contrahi, quo cor dilatatur, sæpe contingeret, manifestum quoque est. Quod diximus verum esse quiuis facile potest experiri; nam & in febrium initiis, & externo vrgente frigore, prope corporis extrema pulsantes arteriæ eodẽ tempore quo

cor ipſum pulſant: ſunt autem eo tempore frigidiores, quàm cor, nec tamen rarius licet languidius pulſant. Præterea cum quotidie arterias in inflammationibus valde excalefieri contingat, idque longe interim à corde, vnde nec febris excitatur, (id per plures interdum dies animaduerti poteſt) exiſtente tumore, nec tamen plures aut pauciores, in corde vel arteriis effici pulſationes appareat in oppoſitam nos deduxiſſe ſententiam potuit. Quod ſi quis dicat, eo tempore arteriarum tunicas, non eſſe quidem temperamento diuerſas à corde, ſcilicet in acceſſionibus febrium, febribuſque lipyriis, ſed humores in iis contentos, non æquè calidos exiſtere, is noſtram non impugnabit ſententiam, Galeni tamen opinioni aduerſabitur, qui hoc idem verum eſſe cognouit. Æqualem vero eſſe intemperiem in arteriis & in habitu, à cordis temperamento diuerſam aut plane contrariam, vt dictũ eſt, impoſſibile cenſemus. Siquidem non arteriæ tantum, quæ cordi cõtinuæ ſunt, atq; propter id eodem motu moueri debent, ſed & vniuerſum corpus, cordis denique temperamentum inſequitur. Languidior certe motus quandoque fit in arteriis,

teriis, quàm in corde; at rariorem, enarra- Cap. IIX.
tæ rationes prohibere videntur. Vnica igitur ſecũdum naturam eſt cauſa diſtentionis cordis & arteriarum, in corde reſidens facultas, licet illa quidem impediri ita poſſit, vt magis & minus quàm naturæ lex poſtulet, cor & arterias extendat. Sed hoc in motu diſcrimen à facultate pendens, non quærimus hoc loco, ſed diſtentis cordis cauitatibus, arterias quoque initium diſtentionis habere, valida tamen exiſtente facultate, & ſecundum naturã ſe habentibus arteriis, demonſtrare propoſitum erat. Vbi itaq; pręter inchoatam à facultate diſtentionẽ, altera, manu cordi admotâ, percipiatur diſtentio, cum ea quæ accedit, in corde tantum ſentiatur non in arteriis, materiæ alicuius dilatantis occurſum ſignificat. eritque iſta cordis, non operatio, ſed affectio; ac motum quem in palpitatione quærimus, ab ipſa exuperante materiei mole profectũ, nobis aperiet. quanquam maxima opus ſit ad hoc dignoſcendum exercitatione. Hic eſt alius in corde à dilatatione & contractione vt Galeno dicitur, (de ea dilatatione, quæ fit à facultate, loquitur) qui percipitur in palpitatione pulſus; alius quidẽ

non ſecundum ſpeciem motus, ſed ob efficientis diſcrimen. Hunc II. de ſympt. cauſis Galenus cap. II. indicauit, vbi de motu cordis palpitantis inquit: ἑτέρας ταύτης κινήσεως παρὰ τὸν σφυγμόν. Hanc igitur fuiſſe Galeni ſententiam, ea quæ in ceteris partibus, eleuatione & ſubſidentia conſtat palpitatio, quam & in corde quoque fieri ibidem fatetur, manifeſtum facit. Alibi tamen Galenus præter deſcriptum in palpitatione motũ, alium, qui totius corporis ipſius cordis communis eſt, in quo cor concutitur, affert. Id licet obiter & obſcure XLI. aphor. II. ſectionis à Galeno dictum eſt. Meminit enim ibi cuiuſdam, *cui, dum exoluebatur, cor fortiter palpitabat*: ᾧ μετὰ τῆς ἐκλύσεως παλμὸς ἐγένετο τῆς καρδίας ἰσχυρῶς. cum nanque in iis qui exoluuntur pulſus minime vehemens ſit, ſed vt II. de preſag. ex pulſ. cap. V. languidus efficiatur, cõſtat non de dilatatione & contractione illud ἰσχυρῶς eſſe pronunciatum, ſed de totius cordis motu. Clarius eundem VI. de vſu partium cap. VIII. ſub his verbis idem Galenus propoſuit: *Ora vero ipſa inferior, proceſſus eſt fortis & denſus, qui ſimul quidem velut operculum ventriculis eſt, ſimul etiam quaſi propugnaculum totius cordis, ne forte in vehemen-*

mentioribus motibus violenter incidens, præ- Cap. IIX.
positis thoracis oßibus impediatur, atque adeo afficiatur nonnunquam, ob eamque causam cõfũdere cogatur ac vitiare sui modũ ac rhythmũ. Nam cum cordis mucro (ea enim est *ora inferior*) immobilis sit, nec ad dilatationẽ & constrictionem ventriculorum cordis moueatur, de cordis totius concussione id esse intelligendum constat. ex qua præterea concussione, cordis modus ac rhythmus aliquando impeditur. Aretæus etiam II. de causis & signis acutorum cap. III. ex corde primitus affecto syncopen describens, huius in palpitatione motus meminit: πάταγον τῆς καρδίας ἐπὶ πηδήσει καρτερῇ· scilicet *concußionem cum vehemẽti palpitatione.* ex quo videtur Fernelius suã palpitationis definitionem accepisse, vt sit *immoderata concußio vehementi diastole ac systole molesta.* quam quidem definitionem post examinabimus. Cor igitur in palpitatione quatitur, & concutitur aliquando; & hic est ille cordis motus, qui vicinas in thorace costas effregisse, easq; quæ supra mammas sunt de sede depulisse potuit. Cordis quoque cõuulsio apud Hippocratem nihil est aliud, quàm concussio quædam eius visceris, qua quod incum-

bit, expellere nititur. Primo igitur de morb. mulier. vbi habet: καὶ τὴν καρδίαν σπᾶ-ται· motum hunc tantummodo exprimit. In hanc eandem significationem dictum est ab authore libri de morbo sacro: ἀλλὰ σπᾶται μὲν (de corde loquitur) ὥσπερ αἱ φρέ-νες. nam quæ vera est conuulsio, cordi cō-uenire non potest. Motus tamen hic val-de conuulsioni similis est. Galenus enim III. de loc. aff. cap. VII. de quadam cōuul-sione sermonem habens, inquit: *Eos citra perpetuam conuulsionem veluti palpitando per interualla concuti videbam:* οἷον παλμώδη τινὰ κλόνον ἐκ διαστημάτων γινόμενον, οὐ συνεχῆ σπα-σμόν. & paulo post: *Vbi vero deperdito sensu quis conciderit, non accedente motu, quo vel cō-uelli vel palpitare videatur:* τὰ δὲ κατάπτωσιν ἀν-αίσθητον ἄγοντα χωρὶς κινήσεως σπασμώδους, ἢ παλμώδους. ex quibus motum quandoque in palpitatione conuulsioni similem fieri patet. At non in corde tantum sed & in i-pso ventriculo ciborum concoctioni di-cato, motum hunc per similitudinē senti-ri, de sympt. diff. cap. IV. & III. de sympt. causis cap. II. dictum est abunde. libro i-gitur de sympt. diff. *Cum circum cibos ven-ter se constringit, ceterum cum palpitatione quadam, vel tanquam conuulsione, ac tremore, & vi-*

& vibratu, ἀλλὰ μετὰ παλμοῦ τινὸς, ἢ οἷον σπασμοῦ, καὶ τρόμου, καὶ κλόνου. III. autem de sympt. causis: *De prauis autem in eo motibus, quòd vel tremulenti sint, vel palpitantes, vel tanquam cum concußione vel conuulsione, dictum supra est*: περὶ δὲ πλημμελῶν κατ᾽ αὐτὴν κινήσεων, ὅτι μὲν ἢ τρομώδεις τινές εἰσιν, ἢ παλμώδεις, ἢ οἷον κλονώδεις, ἢ σπασμώδεις &c. & paulo post: *Motus qui veluti conuulsiuus est ventriculi, conuulsio in totum non est*, σπασμὸς μὲν ἀκριβῶς οὐκ ἔστιν, *cũ ea in solis accidat musculis*. Ita cum cor nec ipsum sit musculus (ita enim appellatũ ob similitudinem est ab Hippocrate libro de corde) non veram conuulsionem; sed cõcussionem, conuulsioni quę per interualla fit adsimilem, patietur. Quis igitur & quomodo sit alius in cordis palpitatione motus, dictum est. Sed quoniam & παλμὸς ea dici solet affectio, quæ circa motũ ex facultate prodeúntem versatur, nunc quid illa sit exponamus. CAP. IIX.

Quid sit Aristoteli palpitatio.

CAP. IX.

LOnge alia est ab illa quam nuper descripsimus, Aristotelea palpitatio III. de part. animal. ab Arist. sub his verbis allata: ἐν ἀνθρώπῳ γὰρ συμβαίνει μόνον ὡς εἰπεῖν τὸ

τῆς πηδήσεως, διὰ τὸ μόνον ἐν ἐλπίδι γίνεσθαι καὶ προσ-
δοκίᾳ τοῦ μέλλοντος, ἀπέχει τ' ἐν τοῖς πολλοῖς πολὺν
τόπον, καὶ κεῖται τὴν θέσιν ἀνωτέρω τοῦ πνεύμονος. ὥστε
μηδὲν συμβάλλεσθαι τὸν πνεύμονα εἰς τὴν ἅλσιν τῆς καρ-
δίας. id eſt: *Homini enim prope dixerim animalium vni palpitat, quia homo ſolum ſpe rei futuræ expectationeq; moueatur. In pluribus etiam cor laxo interuallo diſtat à pulmone, ſitũque ſuperius tenet, vt nihil ad cordis palpitationem conferat pulmo.* Huc quoque ſpectant, quæ ex libello de Reſpiratione eiuſdem Ariſtotelis, cap. xx. vbi ſic: τρία δ' ἐστὶ τὰ συμβαίνοντα περὶ τὴν καρδίαν, ἃ δοκεῖ τὴν αὐτὴν φύσιν ἔχειν· ἔχει γὰρ οὐ τὴν αὐτήν. πήδησις καὶ σφυγμὸς καὶ τὸ τῆς ἀναπνοῆς. πήδησις μὲν οὖν ἐστι σύνωσις τοῦ θερμοῦ τοῦ ἐν αὐτῇ διὰ κατάψυξιν περιττωματικὴν ἢ συντηκτικήν, οἷον ἐν τῇ νόσῳ τῇ καλουμένῃ παλμῷ· καὶ ἐν ἄλλαις γὰρ νόσοις, καὶ ἐν τοῖς φόβοις δέ. ex quibus quamuis πήδησιν ipſam palpitationẽ (παλμὸν) complecti videri poſſit; ἅλσιν tamen ac πήδησιν ac παλμὸν idem Ariſtoteli alibi ſignificare, ſuperiora ex III. de partib. animal. ſi diligentius conſiderentur manifeſte aperient. Illud nunc obiter adnotandũ, improprie παλμὸν ab Ariſtotele morbum dici, cum quælibet palpitatio ſymptoma ſit, vt inferius demõſtrabitur. Sed eas nunc palpitationes omittamus, quæ ob a-

ob alios morbos fiunt. Eam examinemus Cap. IX. quæ ob animi motus contingit. Hanc verò palpitationem improprie & per similitudinem dictam esse, clarum est. non enim fit ex flatu, nec motus est idē in corde, sed saltus quidam pulsus inordinatus, & inæqualis, qui si rarus quidem sit, palpitationis; si crebrior, tremoris speciē exhibet. Hanc animi παθήματα excitant, & solius, vt censet Aristoteles, hominis est. Non est in hac motus aliquis præter pulsum; is verò manu arteriis admota, nō admodum difficulter percipitur. Celer in hac motus, cum in illa sit tardior. Animi denique agitatione sedatâ euanescit, ac fortes viros minime corripit, quòd in iis animi robur validum sit, affectus verò nō adeo vehementes. Ac si quis est amantiū pulsus, vbi ex improuiso amatam conspexerint, is plane vt demonstrabo hanc ex Aristotele palpitationem ad vnguem exprimit. Illud idem in recenti ac vehemēti timore dignoscitur. Hinc nō temere post timorem, ceterasque animi affectiones, statim de cordis palpitatione Hippocratē in libro de humoribus, sermonem habuisse arbitror. Quanquam eius expositor eo loci perperam in ea palpitatione, aliū

à pulſu motum excitari contendat; eamq; ex iis quæ Galeno ſparſim de palpitatione conſcripta ſunt, Hippocrati palpitationem adſcribat, quam nuſquam ab Hippocrate deſcriptam inuenias. Typus igitur Ariſtoteleæ palpitationis hic eſt, vt ſit motus cordis vehemens, celer, vibratus, inordinatus inæqualiſque, ab aliqua animi perturbatione pendens. At verò eæ omnes animi perturbationes, in quib. ſanguinem ac ſpiritus, impetu quodã principium verſus ferri contingit, palpitationis cauſa exiſtunt. Talis vtiq; fuerit, timor & verecundia, & quicunque affectus cũ his adiuncti fuerint, vt in ἀγωνία Græcis appellata. Perturbationes quoque animæ, quæ in ira ac terroribus contingunt, cor ipſum è naturali ſua conſtitutione exturbare manifeſte conſpiciuntur. Quo autẽ modo facultas vitalis in hiſce affectibus lædatur, ab ipſo ſanguinis ac ſpirituũ motu petendum. Vbi namque non æquè omnibus inſtrumentis facultas vitalis imperat, tunc æqualitatem euertit. non imperat verò, dum, etiamſi valida fuerit, ab humorum copia tamen opprimitur. Quã etiam humorum affluentium abundantiam, vibrantem efficere pulſum, clarum

eſt. Is enim ob arteriæ duritiem efficitur: durities autem ob nimiam diſtentionem, arteriæ adiungitur. Inordinatum præterea eſſe neceſſe eſt, ac præſertim vbi compoſitæ fuerint iſtæ motiones: nã vbi ſimplices ac validæ (fuerint vero validæ, vbi ſimplices) ſi cum imbecilla facultate contingant, non ſolum motus ordinem abrũpent, ſed caloris interitum ob ſuffocationem inducent. Porro ob vſus neceſſitatem celer quoque euadat oportet, ſcilicet ob auctum, circa præcordia, calorem. In hunc ſane modum recenti ac vehementi timore correptis, cor & arterias palpitare neceſſarium eſt. Qui quidem motus omnino & amantibus conuenit, vbi ex inſperato illud offeratur obiectum, in quod ii feruntur. ſiquidem commixtam ex pudore motionem, & quandam animi concertationem oriri conſentaneũ eſt; veluti quòd rei melioris occurſum ferre nequeant: ac motum ſpirituũ vnà cum ſanguine ad cor repere, quemadmodum in iis fit, qui magna animi concertatione rem aliquam aggrediuntur. Non igitur mirum ſi Galenus, quod & Eraſiſtratum prius feciſſe aiunt, amore captam mulierem, aliis tamen accedentibus indiciis, ex pulſu

CAP. IX.

postremo cognouit. Esse autem hunc qui
fit in timore & angore motum, palpitatio-
nem ab Aristotele propositam, quã mo-
do ἄλσιν modo πήδησιν appellat, (ἅλμα Pla-
to vocat) tum moueri in his affectionibus
cor hoc palpitationis motu, & Galenus &
Hippocrates fidem faciunt. Galenus per
similitudinem, quæ est ad veram palpita-
tionem, motum hunc in pauoribus, pro-
pter accidentis vicinitatem II. de Plac. c.
VIII. *palpitationem* vocat: ὥσπερ γε καὶ τὸ πάλ-
λεσθαι τὴν καρδίαν ἐν τοῖς φόβοις, ἀπὸ συμβεβηκότος
ἐπιχειρεῖται. Quarto item de diff. pulſ. cap.
III. in angore ac timore *cor palpitare* scri-
bit: καὶ κατά γε τοὺς φόβους καὶ τὰς ἀγωνίας ἐναρ-
γῶς ἡ καρδία φαίνεται παλλομένη. Chrysippus
quoque apud Galenum III. de Placitis
cap. V. *Nam & cordis palpitatio, & totius ani-
mæ concursus ad cor, in pauoribus euidens est*: ἐν
τοῖς φόβοις πάλσις τῆς καρδίας ἐκφανής ἐστι. Et li-
bro IV. cap. V. *si igitur corde ita præ timore pal-
pitante ac saliente ad consultandum accedat*: εἰ
μὲν δὴ τὴν καρδίαν παλλόμενος οὕτως ὑπὸ τοῦ φό-
βου πάρεστι συμβουλευσόμενος. In hoc autem pal-
pitationis motu ab angore inęqualitatem
præcipue considerari Galenus I. de præ-
sag. ex pulſ. cap. I. affirmat: καὶ τὴν τῶν ἀρτηριῶν
κίνησιν ἀνώμαλον ἴσχειν, ὡς ἐπ᾽ ἀγωνίᾳ. Aristote-
les

les vndecima problematũ ſectione, pro- CAP. IX.
blem. XXXI. cor quati & concuti trepidã-
tibus, ſiue cum angore certantibus ſcribit: ſed de cordis concuſſione inferius eſt diſſerendum. Hippocrates aut quicunq; fuit author ſeptimi de morb. vulg. obiter ex timore palpitationem fieri ſcribit; cuiuſdam enim in corde palpitationis meminit, *quæ neque ei*, vt ille inquit, *quæ ex curſu aut ex timore, circa cor generatur, ſimilis erat*: τοιοῦτος παλμὸς ἦν, οἷος οὔδὲ ἀπὸ δρόμου, οὐδὲ ἀπὸ δείματος περὶ καρδίην γινηθείη. Plutarchus quoque in ſuo περὶ εὐθυμίας libro, hos eoſdem motus ab animi affectibus prodire confirmat; πηδήματα καρδίας, καὶ σφυγμοὺς, καὶ καματηρὰ πηδήματα appellat. ac longe clarius de morali virtute diſſerens: τοῦ γὰρ ἀνθρώπου τὸ μὲν παθητικαῖς ὁρμαῖς τὸ σῶμα συμπαθοῦν, καὶ συγκινούμενον ἐλέγχουσιν ὠχρότητες, ἐρυθήματα, τρόμοι, πήδησις καρδίας. Ariſtophanes etiam in Nubibus: οἶμαί γε τῶν νεωτέρων τὰς καρδίας πηδᾶν, ὅ,τι λέξει. Vbi adnotandum non eam animi hilaritatem ſolam, quam ſignificare eo loci vult Ariſtophanes, ſaltus aut palpitationis cauſam exiſtere, ſed tantum vbi aliquis præterea cõmixtus ſit affectus, qui humorum motui qui fit in lætitia, aduerſetur. quemadmo-

dum etiam (quod Galenus sæpe admonet) intelligere oportet, vbi palpitationẽ ab ira fieri dicimus. Sed motum hunc in excandeſcentia Galenus III. de Plac. cap. primo, Chryſippi ſententiam de facultatũ ſede examinans, aperte proponit. Is feruorem quendam *innati caloris*, ἐμφύτου θερμότητος, in corde fieri opinabatur. quo quidem feruore poſtea efficitur, vt & facies infletur, & totum rubeſcat caleſcatq; corpus, *corq; ipſum vnà cum omnibus animalis arteriis vehementer palpitet ac ſaliat* : καὶ σφοδρῶς πηδᾶν τὴν καρδίαν σὺν ταῖς κατὰ τὸ ζῶον ἁπάσαις ἀρτηρίαις. Felicianus illud πηδᾶν *palpitare ac ſalire* vertit, cum alterum abũdet. Andernacus, vnico verbo, *ſubſiliat*. In hanc ſignificationem Homerus, πηδῶν δ' ὁ θυμὸς ἔνδοθεν μαντεύεται. De hac rurſus palpitatione intellexerunt Melampus, Antiphon, Phæmonoë, ceterique augures, quando dixerunt cor palpitans (quod & adnotauit Sueſſanus in libro de Auguriis) bonum quid omnibus portendere. Sed dubitabit aliquis vtrum ſoli homini ſecũdum hanc rationem, cor palpitare cõtingat, vt dicit Ariſtoteles : ἐν ἀνθρώπῳ γὰρ συμβαίνει μόνον ὡς εἰπεῖν τὸ τῆς πηδήσεως. Ariſtoteli Plinius libro XI. cap. XXXVII. fauere videtur,

tur, vbi ſic de ſanguine: *Vim eius ad ſingula* CAP. IX.
momenta mutari, non modo tantum in ore ſuffusâ materiâ; verum ad ſingulos animi habitus, pudore, ira, metu, palloris pluribus modis. Alius enim iræ, & alius verecundiæ. Nam & in metu refugere, & nuſquam eſſe certum eſt; multisque non transfluere transfoßis, quod homini tantum euenit. hęc Plinius. Clarũ eſt autem non transfluere transfoſſis, vbi id accidat, ob animi motus homini proprios. Sed iumentis & feris ſuæ ſunt perturbationes, vnde ſpirituum & ſanguinis agitationes fiunt. Certe ſunt in iis omnes fere quæ in hominibus reperiuntur perturbationes, paucis quibuſdam exceptis, vt eſt æmulatio, verecundia & indignatio, illæ præſertim quæ vel honorem, vel æqualitatem reſpiciunt. Quapropter vbi hæ palpitationis cauſa extiterint, non niſi (cum nullibi alibi reperiantur) in homine cordis inducent palpitationem. Quæ verò communes ſunt iis, quæ ratione carẽt animantibus, in illis quoque hoc idẽ ſymptoma (quod in valde territis fieri veriſimile eſt) excitabunt. Soli igitur homini cor palpitare, vbi palpitationis origo, propria tantum homini perturbatio eſſe debeat, verum eſt, ac id ab Ariſtotele tra-

ditum. Si verò absolute sit enunciatum, falsum proculdubio est. Quod item dicitur ab Aristotele, ad cordis palpitationẽ, nihil pulmonem conferre: ὥστε μηδὲν συμβάλλεσθαι τὸν πνεύμονα εἰς τὴν ἄλσιν τῆς καρδίας· vtrũ recte, aut non recte dictum sit, paucis declarandum. Nec sunt ceteræ quæ in corde fiunt, huc adferendæ palpitationes; nã de vehementi tantum pulsatione intelligit Aristoteles, vt iam diximus. Occasionem dedisse videntur Aristoteli hæc Platonis verba ex Timæo: τῇ δὲ δὴ πηδήσει τῆς καρδίας ἐν τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίᾳ, καὶ τῇ τοῦ θυμοῦ ἐγέρσει προγιγνώσκοντες, ὅτι διὰ πυρὸς ἡ τοιαύτη πᾶσα ἔμελλε διοίκησις γίνεσθαι τῶν θυμουμένων, ἐπικουρίαν αὐτῇ μηχανώμενοι, τὴν τοῦ πνεύμονος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν, πρῶτον μὲν μαλακὸν καὶ ἄναιμον, εἶτα σήραγγας ἐντὸς ἔχουσαν οἷον σπόγγου κατατετρημένας, ἵνα τὸ πνεῦμα καὶ πόμα δεχομένη ψύχουσα ἀναπνοὴν καὶ ῥαστώνην ἐν τῷ καύματι παρέχοι. quæ sic ex Ficini versione: *Cum verò cognosceret, cor rerum terribilium obiectu trepidaturum, & ira sæpius flagraturum, idq; opus omne per ignem fore, æstus huiusmodi temperandi gratia, pulmonum tegmẽ cordi adhibuerunt; molle primum, atque exangue, deinde cauis intrinsecus fistulis, spongiæ instar distinctũ, vt spiritu potuq; hausto, cordis ardorem huiusmodi*

modi respiratione & refrigerio tepefaciat. at CAP.IX. Felicianus, *Cũ vero ex cordis palpitatione in terribilium rerum timore, & ex iræ excitatione præuiderent* &c. In quibus quidem, pulmonem ad refrigerandum cordis calorẽ exuperantem, præcipue in iis affectibus in quibus valde incalescit, vt in cordis palpitatione, à natura fabricatum esse, statuit Plato. Sed cum Aristoteles πήδησιν solius hominis propriam esse sit opinatus, (poterat forte ob eam rationem, propter quam decima problemat. sectione, problem. XLIII. ructum esse proprium affirmet hominis, ceteris negatum ob ventriculi siccitatem, & quoniam in iis flatus dissipatur omnis) coactus est nõ hoc pulmonis officiũ asserere, sed in vniuersum ad respirationis vsum dirigere. Qui verò hoc palpitationis symptoma ob alias quoque causas euenire cognouerunt, ab Aristotelis sententia recedere coguntur, ac veritatem amplecti. Cor enim & pulmones in iracundia in se trahere sexto de morb. vulgar. Hippocrates scribit. Cor quidem sanguinis copiam, vnde calor augetur; pulmones verò aëris, vnde refrigeretur incendium. Quanuis autem verum sit, pulmonẽ in palpitatione cordi super-

excalefacto vberiorem aerem demandare; vsus tamen ac situs partium, non vt ad res præter naturam dirigitur, sed vt ad naturales actiones edendas opportunus esset, à natura singulis in corpore partibus constitutus, ac determinatus est.

Palpitationem ab Aristotele descriptam ob alias quoq; causas, præter animi affectus, fieri. CAP. X.

NOn animi tantum affectus, quòd inordinatos & inæquales efficiant pulsus, descriptæ nuper palpitationis causa existunt, sed quodcunq; ferè inæqualitatem quam συστηματικὴν appellant (ea nanq; in omnibus cordis motibus palpitatoriis apparet) efficere potest. At inæqualitatem hanc, obstructiones, & compressiones, ac durities, & nimios humores inducere 11. de causis puls. cap. 1. Galenus ostendit. Quoniam autem eo loci Galenus, arteriarum & cordis inæqualem in compressione motum describit apposite, ea qua ipse vtitur verborum serie, eundem motũ proponã: *Vbi circumiectas regiones arteriæ, quæ ad hoc creatæ sunt, vt eam distentam excipiant, aliud corpus insederit, non possunt per illud coarctatæ arteriæ satis distendi. Itaque singula-*

gularum actionum defectio, summam interim CAP. X. *magnam coaceruat, vt longe ab vsu absit officium. Ibi iam violenter agere & vehementer facultas cogitur, reiicere & propellere illa studẽs, quæ sua instrumenta obsederunt, & motu prohibuerunt. Vbi maiorem prioribus & vehemẽtiorem, & etiam celeriorem necesse est pulsum euadere, qui vel à principio crebritatem quoque habuit.* Hactenus Galenus. Iam si cõpressio fiat prope cor, aut penes magnam aliquam arteriam, eaq; ab insigni quopiam tumore ducat initium, non solum motus inæqualitatem in corde oriri; sed assiduã eius visceris palpitationem, quæ maximè ob vehementiæ inæqualitatem fit, adiunctam esse necessariũ est. Quod enim non potuit priori motu, aut expellere, aut attrahere, conatur siue illæsa, siue iam labefactari incipiens facultas, eò quo potest robore, sequenti valde vehementer efficere: quo quidem tempore cor vndequaq; dilatatum, iam ipsi laboranti sensibilem ac molestum infert motũ. Ex huius generis in leuibus arteriis existentibus tumoribus, continuam spirandi cum cordis palpitatione difficultatem, quandoq; fieri obseruatum est. Hæc profecto palpitatio assidua est, licet per interualla

augeri, ac diminui rurſus videatur. Hæc ſupino nunc ſe prodit, quæ modo ſtantem non torſerat; aut ſtantem exercet, quæ ſupino iacente ægro delituerat; nũc vtcunq; iaceat, ſupinus pronuſve, aut in alterum tantummodo latus decumbat, ægrotantem corripit. Cuius diſcriminis, pro ſitu ac figura enati tuberculi, quòd magis minuſve comprimat arterias, ſtante aut iacente ægro, dextrum aut ſiniſtrũ latus occupante, ratio petenda eſt. Hîc non in ipſis tantum arteriis, vt dictum eſt, ſed eis circũmiectis regionibus, huiuſce ſymptomatis quærenda eſt origo. nam & prope arteriam, contingentem inflammationem, aliudve tumoris genus, quanquam non adeo euidenter, cum in ipſo arteriæ corpore nullum adſit, vnde facultas lædatur, impedimentum, ſed à ſola cõpreſſione quoquo modo impediatur actio, motus idem ſubſequitur. Neque ea poteſt pulſui inæqualitas accedere, cum alteram quæ à quiete eſt, poſt diſtentionem, partem, ſimili ratione nõ poſſe prohiberi manifeſtum ſit. Vnde non eluceſcet motus ille, niſi vbi iam omnino maxime comprimat vicina pars pertranſeũtem arteriam. Nerui quoq; ac venæ, quæ idem

idem cum arteriis in vniuerso corpore Cap. X.
percurrunt iter, non parum ad pulsus immutationem conferunt; vt neruis affectis cõuulsiuus effici pulsus percipitur. Nam turgidæ & oppletæ venæ ob eam quæ cũ arteriis intercedit viciniam, dum illas dilatari non sinunt, in eandem crebri, celeris, inordinati, inæqualisque (quæ omnia palpitationis huius naturam exprimunt) pulsus efficiendi necessitatem, cor ipsum impellunt. Humor etiam aliquis circum arteriẹ corpus offusus, hoc idem quod tumor afferre potest, vt ex Galeno secundo de causis puls. cap. 11. his verbis: *Ac si humor sit aliquis offusus arteriis, vehementibus & violentis motibus propulsus, de loco in locum cogitur defluere, dum meatum impingat, qui educere ipsum possit, itaque emanet ex corpore: vel etiam tempore tenuatus, aut totus resolutus in halitum digeratur. Vbi diuersa etiam, & continens inæqualitas necessario fit; quod nec pari copia humores perpetuo deinceps maneant, nec easdem coarctent arterias, sed ex partibus sæpe ignobilioribus in nobiliores, atque ex eisdem rursus migrent in ignobiliores.* Hæc ex Galeno. In asperis porro arteriis, qui spiritus vias occupet, quauis ex causa tumor inhærẽs, & ipse quandam in pulsu, ob læsam respi-

randi functionem, inducere poteſt inæqualitatem, non tamen vehemens illico efficietur pulſus, ac ſenſibilis, niſi emanãs inde ichor, aut ruptâ vomicâ ſanies, ſpiritus tranſitum intercipiat. Sic in ſuppuratis huc illuc agitatam proluuiem, dũ ſine ordine confluẽs, naturam ad ea quę moleſta ſunt, propulſanda incitat, palpitationem cordis inferre ſępe conſpeximus. Ac ſi contingat occupantium pulmonis ductus humorũ portionem ad cor vſq; ferri, quod criticè per vrinam pleuræ & pulmonis depulſæ fieri oſtendunt inflãmationes, multo euidentius in corde ſic affecti palpitationem percipient. Tunc enim puris adrepentis colluuie prægrauatum viſcus, valentioribus ictibus ad expulſionem inſurgit. Sed altera hæc à compreſſione, palpitationis eſt cauſa, quam dicere aggredior, ob, ſcilicet, exiſtentem in leuibus arteriis obſtructionem. Fit verò obſtructio craſſitie, ac viſciditate humorum, aut nimia eorum coaceruata multitudine, aut (quæ iam numeris omnibus eſt abſoluta) dum vtraque cauſa conueniat. Quomodo palpitationem cordis vtraque ſeorſim excitet, explicabo; quæ ex vtriſque conſtat, vtriuſque par-

particeps cũ ſit, iis declaratis innoteſcet. Cap. X.
Craſſi igitur ac viſcidi ſucci vbi obſtruant, & inæqualitatis & palpitationis in corde motum inducent. Quandoquidem arteriæ tenuem naturâ ſanguinem continent; ne ſi forte craſſum, aut qua labe infectum intus gererent, ineptiores ad diſtentionem, & contractionem redderentur. Vnde dum craſſior ac viſcidior, qui in iis continetur, ſanguis efficitur, cum commode, quamuis id per contractionem conentur arteriæ, non poſſit excerni; & interius obſtruat, & facultatem ſolliciter, neceſſe eſt. Atque hic interius humorum lentor offarciens, tenuem qui præterfluit ſanguinem in itinere remoretur, ac pigriores ſimul in attollendo ſeſe arterias, quòd earũ tunicis pertinacius inhæreſcat, ſimiliter quoq; efficiat oportet. Quid hic aliud laceſſita facultas pertentet, quàm q; degrauat onus excutere? Si igitur nequaquã imbecillis fuerit, vehemẽtiores & hic pulſationes edere parabit; ſed ꝓpter arteriæ pondus inexiſtens, hæc palpitatio vnà cum pulſus intermiſſione, aut inſigni ſaltem raritate, per interualla coniungetur. Nec verò interius tantum arteriæ cauitates obſtruũtur,

tur,

tur, ſed & earum extremitatibus eiuſdem naturæ ſuccus impactus, eius obſtructionis occaſionem affert, quæ cum allicere & reddere ſpiritum libere non permittat, in hunc quem deſcribimus palpitationis motum, cor trahit. Sed & ex his arteriarũ oſcillis, quæ ad ignobiliores, quæ impuro aluntur ſanguine, partes terminantur, nonnihil craſſi, atrive ſanguinis, qui arterias ſubiens, palpitationem inferat, licet rarò, quod tamen, vt plurimum fieri, Fernelius tradidit, tranſumi arbitramur. Lõge clarius quæ ad vires eſt plenitudo, Galeni ſententia, pulſum ducet ad inæqualitatem, ac ſubinde ſi valentior extiterit, ad palpitationem. Obſtructio itaque quæ fit à nimia quantitate humorum, qui vim facultatis vitalis exuperent, eodẽ loco, ſcilicet 11. de cauſis pulſ. cap. 11. à Galeno in hunc modum proponitur: *Accidit etiã pulſuum inæqualitas interim ex ſanguinis copia, qui in venas, aut arterias ipſas ſit infuſus.* (ob hanc rationem, palpitationes poſtremo loco à Galeno v. de loc. aff. cap. 11. propoſitas, fieri arbitramur.) & paulo poſt: *At vero hic ſanguis, qui in arteriis eſt, quemadmodum occupet ſpiritus riuos, quid refert narrare? potiſſimum ſi craſſus vel lentus, vel ſi extremis*

earum

earum finibus sit impactus. Tunc enim quia vel CAP. X.
allicere spiritum, nec reddere valent, diuersas simul, & difficillimas faciũt inæqualitates; præcipue si vel prope ipsum cor, vel procul quidem, sed in nobiles partes impingant, obstruantq; illi succi. Quæ quidem Galeni verba, nihil aliud vidẽtur describere quàm ipsam cordis palpitationem. scilicet vehementes, & violentos, & inæquales cordis motus. Arterias autem hoc plenitudinis vitio sæpe laborare contingit: præsertim vbi & venæ ipsæ, hoc eodem affectu corripiantur. nam vt inquit Galenus libro de Plenitudine cap. VI. Cum venæ eam quæ est à plenitudine sarcinam, ferre non possunt amplius, aut venarum tunicas abrumpi, aut sanguinem in vasa spiritus transfundi, necessarium est; nisi alibi venarum ora patescant. sed præter hunc modum, à dextro semper cordis sinu, quod est in sanguine tenuissimum, in sinistrum attrahitur: sanguine autẽ impuro existẽte, quod est impurum vnà cum subtiliori. Est & alia inter venas, & arterias communicãdi ratio, cum in dilatatione quæ in longinquis ab aëris contactu partibus reperiuntur arteriæ, nonnihil à venis exigunt, exuguntq; sanguinis. de qua III. de fac. nat. c.

xv. Galenus meminit, & nos paulo ante dicebamus. Transfusis igitur in arteriis humoribus, & oppressa ob eorum copiā facultate, modo illa robusta sit, statim cor palpitare incipiet. Cum autem Galenus II. de causis puls. cap. I. vbi, ter, nimios humores ad collectiuam inæqualitatē pulsus deducere scribit, semper nimios humores, qui ad facultatem ęstimantur, esse oportere pronunciet; quæret aliquis, an plenitudo ad vasa, hæc inæqualitatis ac palpitationis symptomata progignere valeat. Potest illa quidē, vel ipso Galeno teste, qui c. II. ex verbis allatis, in arteriæ vnius coarctationem ob nimios humores causam reiicit, & ab arteriarū primò non à facultatis læsione, inæqualitatē produci declarat. Sed primo eius libri capite, quomodo facultas; in secundo, quomodo instrumēta ad has efficiendas motiones cōcurrāt, edocet. Cōstat igitur, quas ob causas palpitatio fiat. Ex propositis autē, vnā duritiē abstulimus, quòd illa, ad inæqualitatem quidē, cum motui quem facultas auspicatur, se opponat, constituendā sufficiat; non autem ad sensibilē vehementemq; motū, nisi tumori sit adiuncta. Hoc autem q̄ proposuimus, scilicet motū cordis,

dis, vbi prope cor tuberculũ ſit adnatum, *palpitationẽ* appellari ab ipſo Galeno, dictũ eſt 1 v. de loc. aff. cap. poſtremo, in hiſtoria Antipatri, qui ob tumorem, vt Galenus ſignificare videtur, in leuib. arteriis auctũ, & leui quadã ſpirandi difficultate, & cordis palpitatione demum correptus, vbi tumor excreuerat, ex improuiſo obiit: οὐ μεγάλης δυσπνοίας ἅμα παλμῷ βραχεῖ τῆς καρδίας γινομένῳ, εὐθέως ἀπέθανεν. Sed iã quomodo fiat cordis concuſſio, quam etiam *palpitationem* appellari demonſtrauimus, declarandum eſt. CAP. XI.

Quomodo cor concutiatur, & à flatu cordis cõcuſsionem fieri. CAP. XI.

FLatũ cordis inferre palpitationẽ iam diximus, dum de ea quæ diſtentis ex flatu cordis cauitatibus fit, palpitatione ſermonẽ habuimus. At nunc eius qui cõcuſſione, ac veluti conuulſione, quadam conſtat, motus originẽ inſequimur. Primum itaq; quomodo cor concutiatur eſt aperiendum; deinde quomodo, & vnde flatus ſit huius concuſſionis cauſa, determinandum. Quoniam verò in concuſſione cor κατὰ φορὰν mouetur, an motus hic quarundam ſit cordis partium,

vel totius cordis, an & earum quæ cordi connectuntur, prius examinandum. Prę-ſtat ergo ſitum cordis, eiuſq; cum ceteris quibus colligatur partibus, connexionē breuiter deſcribere. Medium thoracis cor occupat, quanuis non exquiſitè; ſed cum cordis baſis in medio collocata ſit, eius paulatim mucro, & in anteriorem, & in ſiniſtram thoracis partē flectitur. Sterno ac dorſi vertebris, ſi anteriorem ac poſteriorem thoracis partem reſpicias; ſi dextram & ſiniſtram, coſtis; ſuperius verò clauibus, & inferius ſepto tranſuerſo circumſcribitur; ac vtrinq; æquè ferè diſtās, in medio thoracis ſitum eſt. Per venam cauam hepati cōnectitur; per arterioſam autem, ac venoſam arteriam, pulmoni; perq; magnam arteriam vniuerſis corporis partibus, ad quas feruntur arteriæ. Sūt & præter hos, nexus quidam, ad eius potius tunicam quàm ad cor ſpectātes. Diaphragmati enim cordis inuolucrum nerueo quodam circulo eſt alligatū. Ex prodeuntibus item ex mediaſtino membranis, cordis tunica cum illo alligatur, & ſuperius ad baſim, & inferius ad verticem; ac ipſi quoque cerebro per quendam ſed exilem valde neruulum; à ſexta neruorū

coniu-

coniugatione proficiſcentem. Cordis vi- Cap. XI.
ſcus circumambit membrana περικάρδιος nuncupata, tantum à cordis corpore diſtans, quantũ eius dilatatio poſtulat. Cor igitur dilatatum, nihil aliud quàm pericardium; illud verò & os pectoris anterius, & pulmonem ipſum, ſi concutiatur, aut aliter κατὰ φορὰν moueatur, attingere poteſt. Quapropter nec prorſus dura nec penitus mollis eius eſſe debuit ſubſtantia. Harum partium deſcriptionem diſerte atque eleganter Galenus ſexto de Placitis, & VII. de anatom. adminiſtrat. affert. Nunc quomodo ſenſibilis fiat cordis in concuſſione motus, perpendamus. In qua quidem re, quòd quædam ex iis quas recenſuimus partibus, nunc ſenſu præditæ, nunc verò expertes eſſe dicantur, non leuis accedere videtur difficultas. Ipſam cordis ſubſtantiam (eius nunc παρέγχυμα intelligo) dolori minime expoſitam eſſe dicimus, nec ſenſui. Quod ſi aliquãdo ab Hippocrate oppoſitum affirmari quis cõtendat vt v. de morb. vulg. de vxore Antimachi: καὶ ὠδυνᾶτο τὴν καρδίην, & eodem libro de ſorore Diopithis: καὶ ἡ καρδίη περὶ τὴν λῆψιν δεινή· os ventriculi per καρδίην ſignificatũ eſſe ab Hippocrate dicendum eſt. καρδί-

αλγία, & καρδιωγμὸς id aperte demonſtrāt, quæ ſemper ipſius oris ventriculi, apud Hippocratem ſunt affectiones. Id Galenus v. de loc. aff. cap. v. & II. de Placitis c. IIX. confirmat. Quin etiam cordis dolor, quem καρδιαλγίαν appellant, cordis illius quod in thorace continetur, dolorē minime ſignificat; ſed ęquiuocatio quædam ſubeſt, nemini, qui modo veterum ſectioni ſit aſſuetus, ignota. Eodem enim vocabulo & thoracis viſcus, & ventriculi orificium, *cor* appellare veteres conſueuerunt. Author præterea quarti de morbis, quominus cor dolorem ſentiat, eius duritiem ac denſitatem cauſatur: οὐ γίνεται οἱ τῇ καρδίῃ πόνος. στερεὸν γὰρ τι χρῆμα, καὶ πυκνόν ἐστιν ἡ καρδίη, καὶ διὰ τοῦτο οὐ πονέει. Galenus quoq; vel nullum, aut vix perceptibilem in corde dolorem oriri poſſe affirmat VI. de Placit. cap. XVIII. Exiguum nanque in cordis inuolucro, ac inde, ſed quod ſenſu quomodo fiat deprehendi prorſus non poſſit, in cordis ſubſtantia neruum implantatum eſſe ſcribit, ne vt planta viſcus illud ſenſu penitus deſtitueretur. Quoniam autē vix ſentit, ideo vix doloris eſt capax, & contra quoniam dolorem non ſentit, aut ſenſu prorſus caret, aut habet quidē ſed obſcu-

ſcuriſſimum. Cor igitur ſiue ex ſe dilatetur, & ſuam ipſius membranam qua inuoluitur, percutiat, aut ab illa percutiatur, inde fit vt nequaquam dolere poſſit. Ceterum cum arteriæ corpus vt libro de tum. præt. nat. cap. VIII. dictũ eſt, ſenſum habeat, (licet Plinio libro XI. cap. XXXVII. arteriæ ſenſu careant, nam & ſanguine) eumq; ſatis manifeſtum, vt facile dolorem ſentiant: ὅταν δὲ καὶ αὐτὸς ὁ χιτὼν ἤδη φλεγμαίνῃ, πλήττουσί τε ἅμα καὶ πληττομένη διπλασιάζει τὴν ὀδύνην. id eſt, (vt ex Auguſtino Ricco percelebri medico Lucenſi, cuius meminit Tiraquellus in libris de Nobilitate) *Quod ſi arteriæ tunica inflammatione vrgeatur, tum ratione percutientis ſimul & percuſſi geminatur dolor.* & II. de loc. aff. cap. III. ἐπειδὰν οὖν ὅλως ὁ μῦς φλεγμαίνῃ, κατὰ διττὸν τρόπον ὀδύνης αἰσθανόμεθα, διαστελλομένων τῶν ἀρτηριῶν, ὅτι τε κινοῦνται, καὶ ὅτι θλίβουσί τε ἅμα τὴν περικειμένην σάρκα καὶ θλίβονται πρὸς αὐτῆς· dubitabit aliquis propter internas ventriculorum cordis regiones, vnde arterioſum omne corpus exoritur. nam & eas quoq; partes dolori ſubiectas eſſe, cum ſint eius naturæ, oportebit. Hoc verò non inficiamur, ſed ipſam viſceris affuſionem, quam παρέγχυμα appellant, ſenſu, ac ob id dolorẽ

Cap. XI.

carere affirmamus. Totum autem hoc quod quęrimus, nec superuacaneum, nec sophistarum speculatione dignum censeri debet, cum valde, vt mox patebit, ad loci affecti inuestigationē conferat. Quæ verò ex iis quas modo enumerauimus reliquæ sunt ab ipsius cordis affusione partes, pulmonibus tamē exceptis, & sensum habent, & dolori subiectæ sunt. Ipsa primum cordis membrana, siue à corde nimis dilatato percutiatur, siue ad ceteras quibus circumscribitur partes allidat, dolorem quendam percipiet. ac longe clarius, si qua dolorem naturâ ferēs in ipsa exoriatur affectio. Qui tamen sonitus ex harum partium collisione ad aures vsq; defertur, is non nisi vbi pericardium duriores impingat thoracis partes, effici potest. At duriores in thorace partes, cor ad basim attingere minime potest, ob pulmonis positum: sed motus præcipue cordis iste, in eius, qui ob extremum cunctarum cordis fibrarum concursum ac terminū est immobilis, vertice fieri est aptus. Anticam igitur pectoris regionē, ac sinistrorsum mucronata cordis cuspis dum quatitur, percutere sensibiliter, ac dolorem inferre iis, quæ ex mediastino enascuntur mem-

membranis, ob ſitum earum partium, cõ- CAP. XI.
ſentaneum eſt. Eas namq; interim dũ cor concutitur mẽbranoſas propagines, quibus eius vertex deuincitur, impetu quodam extendat ac abſtrahat, prorſus neceſſe eſt. Sed hucuſq; motum cordis, qui fit in eius concuſſione, ſatis explicaſſe videor, ſingulas tamen differentias poſt explicabo. Nunc enim an flatus hunc eundem excitare motum poſſit, & quomodo, examinandum. Non in reliquis tantũ corporis ſinibus, ſed & in ipſius cordis cauitatibus flatum ſæpe reperiri, iam ex Hippocrate libro de Flatibus oſtẽdimus, vbi flatum *aërem* appellat; quanquam à principio eius libri hæc præmittat: πνεύματα δὲ τὰ μὲν ἐν τοῖσι σώμασι, φῦσαι καλέονται· τὰ δὲ ἔξω τῶν σωμάτων, ἀήρ. Hunc inferre cordis concuſſionem dicimus, non ſemper, ſed tamen vt plurimum. quòd enim quidam frequẽter per interualla hoc excrucientur ſymptomate, nec illo deſinente, alia quàm ipſius flatus excretio ſubſequatur, flatum omnino ſymptomatis cauſam eſſe demonſtrat. Humor etenim nullus tàm frequenter exagitari, ac ita cito quieſcere poteſt, vt bis terve eadem die, motũ in corde concutientem inducat. nec tu-

mor aliusve perpetuus affectus, quòd nõ assidue fiat, sed per interualla recurrat. Admiranda hic ex Petri Foresti obseruationum libro XVII. historia, quæ hanc de cor concutiente causa, sententiam exactè comprobat, omittenda non est. Remon quidam, vt ille inquit, ab ineũte ætate ad annum quinquagesimum quintum quo obiit, cordis palpitatione corripi solebat, præsertim à somno meridiano, & vbi arctius tibias constrictas habebat. Sensus quidam tremulus erat ad carotidas. Huic pulsus vel nullus vel paruus, & sine ordine. Soluebatur paroxysmis edito crepitu, ruptu, iniecto clystere, dolore in mediis clauiculis excitato, deinde in fronte, vel tussi satis violenta sponte mota. Relictis tibiarum vinculis, & somno, melius habebat. Huic hepar calidius, ventriculus frigidior. Hinc igitur multa fuliginosa excrementa, spirituosusq; vapor & crassus, in arteriis interceptus continebatur, qui in cor exhalans, incutiebat tremorẽ vel palpitationem, donec motu, attritu, vel calore (quòd ad id non sufficeret facultas vitalis) dissolueretur, aut alicunde exitum haberet. Iam verò qualem flatus intra cordis ventriculos redundans, motum

possit inducere, partim à nobis ostensum est, ac deinceps quod omissum fuit, adiũgetur. Dilatationem cordis, flatus producere, ac eius contractionem quandoque coërcere diximus. Quæ cum vera sint, ac vitalis ipsa facultas contractionem quandoq; moliatur, vbi flatus adueniẽs aduerso motu feratur, cauitates illas, dum facultas contrahere incipit, extendens, totum cordis corpus quati & concuti necessarium est. nam cum in totum tolli cõtractio nequeat, id enim manu arteriis admota perciperetur, nec eodem tempore cor per aduersas ferri lationes queat, motum in ipso corde concutientẽ, exoriri oportet: facultate quidem conante contractionem perficere, flatu tamen id prohibente. Cum igitur spiritus impellentis vis, facultatis motum tollere non possit, nec omnes simul partes ventriculorum cordis impetat, totum cordis corpus in eam celeriter partem impellitur, in quam ipsi flatus impetum faciunt. Quibus quidem subsequente cordis contractione dilapsis, in priorem illico sedẽ cor ipsum reuertitur. ac si adeo crassum flatũ esse contingat, vt vel statim elabi, vel motui facultatis obtemperare minime pos- CAP. XI.

ſit, per rariora interualla, ac longius à cõ-ſtituta ſibi ſede cor agitabitur, qui certe motus palpitantibus muſculis eſt perſimilis. ſi non adeo caliginoſus, aut nebuloſus fuerit cum cito vacuetur, ac cito rurſus influat, crebriorem & per breuiorem viæ tractum, motum inducet, qualis vtiq; is eſt, qui tremore correptos exercet. Motus hic qui concuſſionem efficit, nequaquam arteriis communis efficitur: quoniam cum non ſit facultatis opus, in ſolo corde, aut in viciniorib us tantum arteriis, quæ prope maximæ arteriæ exortum ſitæ ſunt, percipitur. Dilatatio itaq;, atque contractio (licet in corde motus hic concuſſionis ſentiatur) in arteriis abſque huius motus ſenſu, diſtincte dignoſcuntur, niſi aliunde aliqua acceſſerit inæqualitas, ac perturbatio. Qui verò motus in ipſis arteriis longe à corde exiſtentibus, carpũ nobis tentantibus, tremulus deprehenditur, is ob aliam rationem contingit. Galeno enim fit II. de præſag. ex pulſ. cap. XII. propter facultatis imbecillitatem, nec in alio à vero, qui neruoſarum partium proprius eſt, tremore differt, quàm propter efficientis facultatis diſcrimen. nerui enim ab animali, arteriæ autem à vitali ſeu pulſi-

pulsifica facultate motum eundẽ in tremore consequuntur. Sed tremor hic arteriarum, & raro fit, & rarius deprehendi potest; quoniam languescens facultas nõ admodum distendit arterias, atq; iis parũ dilatatis animaduerti nequit. Cordis autem concussio, quam sub tremoris nomine complexi sumus, nec rarenter fit, nec difficilem de se præbet circa cor dignotionem. Sed quomodo frequens huius palpitationis, quæ tremorem imitatur, motus ex flatu pendens à descripto nuper ex 11. de præsag. ex puls. seiungatur, ac dignoscatur, posterius dicetur. Nunc an aliam in thorace sedem flatus occupãs, in eundem concussionis motum cor possit impellere, determinandum. Atque non in cordis tantum ventriculis, sed & in eius quoque inuolucro, tum & in ampla thoracis totius cauitate, spiritus crassos ac flatulentos contineri, manifestum est. Membranas quidẽ thoracis internas sæpe flatus extendens, dolorem νυγματώδη, id est, *punctorium*, gignit. Sed cum quotidie eius naturæ dolores intueri liceat, nec tamen huic motui coniungantur, vix arbitror intra thoracis cauitatem existentẽ flatum, cor posse concutere. Certum ta-

Cap. XI.

men eſt aliquãdo flatuum abundantiam in ipſo thorace, etiam ſi extra cor flatus exuperet, cordis dilatationem impedire, ac ita vt nullo pacto, aut minimus eo tempore pulſus in arteriis percipiatur; quod per tuſſim nulli non licet experiri. Valde enim dilatatus thorax vbi conſtringitur, ſi quid aut humoris aut vaporis adeſt, totum id vnà cum pulmonibus ad cor allii ditur, & ob inſignem compreſſionem cor ſeſe nequit attollere; vnde dum dilatationis actio retardatur, quouſq; pulmones iterum dilatato thorace recedant à corde, ſpeciem interim intermittẽtis pulſus, cor ſic affectum exhibet. Quæ tamen leuiſſima eſt, nec eundem cum ceteris exitum habet διάληψις. Quod ſi motum quem deſcripſimus, in tuſſi, ob totius pectoris exagitationem, quis explorare commode non queat; is in eo ſymptomate quo ad tuſſim incitamur, κέρχνον Græci appellant, adhuc clarius aliquando percipiet. At ſi flatus pericardium extendat, cordis quoque corpus, eius motum inſequitur, ſed inæqualis erit concuſſio, nec ita diſtinctè dignoſcetur, quemadmodum ea, quę tremorem ac veram palpitationẽ imitatur. Nam cùm cor dilatatur, ſurſum fertur eius

ius cuſpis, ac breuior efficitur; dum verò Cap. XI.
conſtringitur, iterum cuſpis oblonga fit. Cum igitur in cordis dilatatione, latera ſiniſtræ cauitatis quæ ad cordis baſim poſita ſunt, diſtendantur, & ſurſum feratur cuſpis, in imam pericardii partem flatus depulſus, cordis verticem tunc præcipue concutiet. altera verò motus pars, ſcilicet conſtrictio, dum iterum longiorem cuſpidem efficit, flatu ſurſum impulſo, ſuperiores tunc partes cordis quatiet. Valde autem ſenſibilis erit iſte motus, quoniam cordis corpus eius inuolucrũ, quod quidem ſenſu præditũ eſt, impingit, ac quoniam pericardium naturâ eſt immobile, ne dum cor dilatatur, illud aut mouẽs, aut motum, cordis impediret dilatationem. Perperam igitur Ruffus Epheſius de humani corporis partium appellatione lib. II. cap. VIII. Pericardium motu à corde transfuſo palpitantem, id eſt, vi pulſifica, vt diximus, pulſantem ſcribit. ſed, vt dixi, perperam, nanq; immobilis eſſe debuit, cum deberet humorem in ſe continere, ne motum cordis exagitatus humor aliquando impediret.

Eandem cordis concuſsionem ab humore fieri, & quomodo. Cap. XII.

PRæter flatum ipſe quoq; humor con-
cuſſionem cordis inferre poteſt, ſed
non vbique exiſtens, nec in thoracis ca-
uitate, nec in ipſo pericardio. Si enim qui
in cauitate thoracis detinentur humo-
res; hoc excitare valerent ſymptoma, pu-
rulenti, ac quibus ex quauis occaſione
thorax repletur, ſtatim in hanc affectionē
inciderent. Hi præterea in fundo thora-
cis reſident, nec, niſi flatu agitentur, cor
attingūt. In ipſo autem pericardio, ſi præ-
ter modum, qui ibi naturaliter etiam vi-
uente animali continetur, ſeroſus humor
excreſcat, ob eandem rationē, quòd im-
petus abſente flatu non adſit, concuſſio-
nis eſſe cauſa non poteſt: ſed vel raritatis,
vel intermiſſionis, aut alicuius omnino
inæqualitatis pulſus. Sed iam de cordis
palpitatione ſententiam v. de loc. aff. cap.
11. à Galeno allatam expendamus. Quan-
dam cum ſignificatione quod cor in hu-
more moueri videatur, palpitationem fi-
eri pronunciat, eiuſque nimium in peri-
cardio humorem cauſam eſſe ſtatuit: ἕτε-
ρον μὲν παλμὸς τῆς καρδίας, ἤτοι μόνος γινόμενος.
ἢ μετά τινος ἐμφάσεως ἐν ὑγρῷ κινουμένης αὐτῆς.
Seroſum humorem in pericardio conti-
neri docuit Hippocrates libro de Corde:
ϗ ἐστὶν

ἔστιν ἐν αὐτέῳ ὑγρὸν σμικρὸν ὁκοῖον οὖρον, ὥστε δόξεις ἐν κύστει τὴν καρδίην ἀναστρέφεσθαι. γεγένηται δὲ (ecce vsum) τούτου ἕνεκα ὅκως θάλληται φρουρούμενος ἐν φυλακῇ. Hunc aliquando intra cordis panniculum ita Galenus abundare scribit v. de loc. aff. vt ipsius cordis motui sit impedimento: nam sic habet: *Neque mirū videri debet, tantam humoris multitudinē cumulari aliquando in ambiente cor tunica, vt ipsum, ne attollatur, impediat.* Sed qualis sit hic motus, quo cor mouetur interim dū sese nequit attollere, eo loci prætermissum est. Conabimur nos ex ipso Galeno motum illum describere. Humor in cordis inuolucro excedens, facultatem vitalem impedit, ac quoniam spatium illud in quo cor agitari consueuit, coarctat; ne libere se attollere, quod sit in dilatatione, cor possit, licet nonnulli sint opinati, sed non recte, in contractione, efficit. *nam siue distenditur, siue attollitur, siue dilatatur, siue mouetur dicamus, nihil interesse puto*: εἴτε δὲ διαστελλομένης, εἴτε διϊσταμένης εἴποιμεν, εἴτε ἐξαιρομένης, οὐδὲν διαφέρειν ἡγοῦμαι. primo de diff. puls. cap. vi. Naturam aliquando insurgere ad morbos, morborumque causas depellendas; quandoq; tamen opprimi, atque id præstare quod inchoauit nō pos-

CAP. XII.

ſe, Galeno ceteriſque paſſim medicis per-
tritum eſt. Si natura, aut vitalis facultas, e-
ius quod degrauat expulſionem, oppleto
pericardio denſis humoribus, aggredi nō
poteſt, tantum abeſt vt cor concutiat, aut
valētiores edat in dilatatione cordis mo-
tus, vt potius aut raritas, aut intermiſſio
ſubſequatur. Si vero aggreditur, cum ob
externum impedimentum cor ſatis dila-
tari non poſſit, recurrēs ſubinde inæqua-
liter, conabitur valentiori ictu valentius
expellere. Id aperte Galenus docet II. de
præſag. ex pulſ. cap. v. his verbis: *Iam id i-
pſum ſit*, (de pulſus intercurrentia loqui-
tur) *vbi à copia humorum oneratum cor ſit, aut
inſtrumenta obſtructa, aut in arctum coacta*;
quæ quidem cauſa erat etiam intermittē-
tium. At diſſident hac re inter ſeſe, quòd
pugnat in intercurrentibus & decertat
cum noxiis cauſis facultas; in intermittē-
tibus hoc piget illam facere. Quid igitur
aliud circa cordis motum eſt attenden-
dum, vbi cordis inuolucrum ſit nimio re-
pletū humore, quàm pulſus intercurren-
tia? In ea nempe cordis corpus, quòd ſe
magis extendat, ac prope adſit impedi-
mentum, pericardium percutit; vnde nō
tantum ſenſibilis fit in illa motus, quòd
caui-

cauitates cordis ſenſu præditæ vehemen- Cap. XII.
tius extendantur; ſed & ipſum pericardium dum percutitur, ſenſum, ſenſibilemq; motum producit. Hinc palpitationẽ cordis eo loci à Galeno propoſitam, motum tantum cordis & arteriarum intercurrẽtem eſſe patet. Atque hic motus ex facultate pẽdet. Qualis vero ſit ἔμφασις illa, qua quidem cor in humore moueri videatur, cũ cordis παρέγχυμα illud ſit quod in humore diuerſetur, idque ſit ſenſus expers, ego quidem deſcribere non auſim. Cum enim vehementem cordis concuſſionẽ, motum item tremori ſimilem, ac ob animi affectus crebras, vehementes, inordinatas, & inæquales cordis motiones, tum vigilantes, tum à ſomno ſtatim expergefactos, iam ſæpius qui ſe paſſos eſſe affirmauerint, ipſe conuenerim; alios itẽ qui, quotieſcunque in aëre permutationes ad humidam ambientis conſtitutionem fierent, eodem malo corripiebantur: propoſitam tamen in Galeni palpitatione ſignificationẽ, qua cor in humore verſari deprehendatur, qui ſe percipere fateretur, neminem reperii. Enarratæ tamen rationes hanc tantummodo pulſus eſſe demõſtrant intercurrentiam. At cordis cõcuſ-

ſionem dum internas cordis cauitates inæqualiter exagitat illapſus ſine ordine ſanguis, efficere maxime poteſt. An vero ſiniſtrum, vel dextrum cordis ſinum illabens humor exerceat, ſi quis quærat, vtrumq; affici reſpondemus. Dignoſci autem illud, eo modo quo poſt explicabitur. Siue igitur hunc, ſiue illum ſanguinis impetus inuadat, cum dilatato corde ſanguis in dextrum ventriculum feratur; cõtracto, claudatur iter ſanguini, ac impetu tamen agitetur ſanguis; eademque circa ſiniſtri ventriculi regionem, eiuſq; membranulas, cauſa, ob ſpiritus, accedat: cor ipſum concutiat, & ſede dimoueat, oportet. Quandoquidem clauſis quibus introducitur ſanguis venarum orificiis, ibi vehementi motu ſanguis impulſus vim facere & conatur, & cogitur. quemadmodum & flatus quoque, vbi is intra venas incluſus ad eundem modum exitum ſibi quærat. Sed clarior erit motus iſte cõcuſſionis, ac tremori ſimilis, ſi motum cordis naturalem expendamus. ita enim quid impingat humor flatuſve, dum cor dilatatur contrahiturque, notum fiet. Ex vena caua ſanguinem, dum cor dilatatur, eius dexter ſinus haurit; ſiniſter verò per arte-

arteriam venoſam aërem. Dum verò cõ- CAP. XII.
trahitur in arteriam magnã, ſpiritus, ſubtilioremq; ſanguinis partem immittit; fuliginoſos quoq;, nec nõ vitales etiam ſpiritus in pulmones pellit, per arteriam venoſam. Ne igitur quod in cor attrahitur, rurſus refluat, ac vbi ex corde ſpiritus & ſanguis expulſi ſunt, iterum in cor reuertantur; membranæ quædam ſingulis orificiis adnatæ ſunt, quæ id prohibent. Extenduntur igitur omnes in cordis dilatatione, quarũ cum aliquæ tricuſpides ſint, eæ rimas quaſdam efficiunt, quæ vero ſemilunares, totam orificii cauitatem claudunt. Si autem qui è vena caua in cor fertur, vbi cor contrahitur, & membranæ in eius orificio ſemicirculares iter claudũt, ſanguis in eas violenter inuadat, agitari cordis corpus, & inde eam palpitationem fieri dicimus, quæ totius corporis cordis eſt concuſſio. Cum namque continuæ ſint hæ membranæ venæ cauæ, illa verò dextro cordis ventriculo; totũ cordis corpus, ſi eæ impellãtur, quati neceſſariũ eſt. At impelli eas docuit experientia, vt dum futuros horum ſymptomatum euentus enarrabimus, dicetur. Humor præterea non ſolum membranas, quæ ad vaſorum

cordis orificia positæ sunt distendens, sed & intra cordis cauitates copiosior ingressus, valentiores cordis ictus, & concussionem afferre potest. Valentiores quidem ictus, vbi maxima fiat extensio, ipseq; cordis auriculæ percutiant vicinas in thorace partes quibus alligantur: concussionē autem, cum copiæ impetus adiunctus sit. At nec humor copia tantum, sed crassitie ac frigiditate infestans, huius palpitationis causa esse potest. Humorum abundātiam motum hunc efficere ratione probauimus. Adest preterea Æginetę authoritas, nam libro tertio cap. XXXIV. inquit: *Sed & palpitationes cordis vehementes sæpe fiunt ob sanguinis in ipso copiam, aut feruorem.* Crassitiem vero ac frigiditatem Hippocrates vel si alius librum de morbo sacro cōscripsit, idem excitare testatur his verbis: ἢν δὲ ἐπὶ τὴν καρδίην ποιήσηται ὁ κατάρρους τὴν πορείην, παλμὸς ἐπιλαμβάνει καὶ ἄσθματα, καὶ τὰ στήθεα διαφθείρεται, ἔνιοι δὲ καὶ κυφοὶ γίνονται. ὁκόταν γὰρ ἐπικατέλθῃ τὸ φλέγμα ψυχρὸν ἐπὶ τὸν πνεύμονα, ἢ ἐπὶ τὴν καρδίην, ἀποψύχεται τὸ αἷμα, αἱ δὲ φλέβες πρὸς βίην ψυχόμεναι, πρὸς τῷ πνεύμονι καὶ τῇ καρδίῃ πηδῶσι, καὶ ἡ καρδίη πάλλεται. id est, *Si porro ad cor progressum fecerit defluxus, palpitatio apprehendit & anhelationes, & pe-*

ctora

ctora corrumpuntur, aliqui etiam incurui fiũt; CAP. XII.
cum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor, perfrigeratur sanguis. venæ autem violenter perfrigeratæ, ad pulmonẽ & cor assiliunt, & cor palpitat. Caluus autem, ac nonnulli alii, aliter sed obscure nimis verterunt. Cum igitur in hoc affectu, vt inquit Hippocrates, refrigeretur sanguis, & portio frigidi humoris ad cor vsque feratur; motus tamẽ sensibilis circa cor ac vehemens percipiatur, non potest esse nisi concussio. nam vehemens motus à facultate tunc fieri non potest. Hac palpitationis specie, virgines sæpe infestari verisimile est, vbi scilicet detentus humor præ copia recurrit ad cor. quod Ioannes Langius epistola XXI. signa recensens morbi virginei, videtur indicare. Sed longe clarius doctissimus ac eruditissimus Ioannes Baptista Donatius conciuis meus in Cõmentario ad libellũ Hippocratis de morbis Virginum. Non enim cordis lædunt operationem resilientes ad cor humores, aut non adeo facile, vel nõ eosdem, quos recenset Hippocrates, affectus inducunt; nisi frigidiores efficiantur. Illud enim verissimum quod ex Galeno Donatius, abundantiam & copiam humorum frigidi-

tatem afferre, quòd calor innatus debilitetur, extinguatur, ſuffocetur. Quoniam autem hanc in humoribus intemperiem maxime ad conſtituendam nuper enarratam palpitationem facere diximus, opportunũ videtur, vt diſquiramus, an motus hic, vel ex iis qui hucuſque ſunt à nobis expoſiti, aliquis, ob intemperiem tantum efficiatur. Copiam autem, quam diximus excitare palpitationẽ ex Pauli authoritate, vt hoc obiter adnotemus, eam de qua ſecundo loco Galenus pertractat lib. v. de loc. aff. afferre exiſtimamus.

An cordis palpitatio ab intemperie tantum excitetur. CAP. XIII.

LEonardus Fuchſius II. de medẽdi methodo cap. x. cauſas palpitationis recenſens, ad Arabum mentem, inquit: Fit ab omni eo quod cor præter naturam afficere poteſt, vt eſt intemperies omnis, aut humoris multitudo in ambiente cor tunica contenta, aut tumor præter naturam. Et in v. de loc. aff. Fit interdum malũ hoc, à nuda aliqua intemperie, calida vel frigida. At Leonardus Iacchinus in IX. Raſis cap. XL. Miror aliquando hominum temeritatem ac negligentiam. quomodo enim

nim à contrariis causis id fieri possit, ex- CAP. XIII.
plicari oportuit, & bene perpendere, nũ omnis intemperies id possit efficere. Galenus aliquando nudam intemperiẽ huius symptomatis causam esse videtur inficiari; eandem tamen quandoq; admittere visus est. Eius palpitationis nunc non est nobis sermo, quæ solius materiæ illam excitantis opus est; siquidem ad cor illa spectat, vt ad partem instrumentalem; at vero pars instrumentalis nequaquam est obiectum intemperiei, nisi quoniam ex similaribus constat. De ea loquimur quæ motus inæqualitate circumscribitur, vehementiæ præsertim ac magnitudinis, facultate vitali ad id operam non abnegãte. Galenus igitur II. de præsag. ex pulſ. c. IV. sic habet: *Verum paruum & languidũ sola intemperies pulsum reddit, non tamen statim inæqualem, nisi cum humoribus facultas comparata, contentis in ipso corde, & in continentibus cum ipso arteriis, venisque, robore iis cedat, quod aliud nihil est, ac copia humorum facultate maior.* Et v. de loc. aff. cap. II. vbi ex instituto palpitationes cordis prosequitur, seorsim meminit intemperiei; nec tamen hanc esse palpitationis causam, ostendit. Tertio tamen de præsag. ex pulsib. cap. IV.



palpitationem cordis, ex cordis intempe-
rie prodire affirmat, vbi sic statuit: ὅσης δὲ
καὶ αὐτοῦ ταύτης (de cordis intemperie loqui-
tur) διττοῦ, ἑτέρας μὲν ἐν τοῖς ὑγροῖς οἰκείοις αὐτοῦ, ἑτέ-
ρας δὲ ἐν τοῖς στερεοῖς, ἡ μὲν ἐκ τῶν ὑγρῶν ὁρμωμένη, με-
τὰ παλμοῦ γίνεται τῆς ὅλης καρδίας, ἡ δὲ ἐκ τῶν στερε-
ῶν, ἄνευ παλμοῦ. Esse scilicet duplicem cor-
dis intemperiē, quarum quæ in eius pro-
priis succis est, si fiat, omnino cum cordis
palpitatione fieri tradit: μετὰ παλμοῦ γίνεται
τῆς ὅλης καρδίας. Cum ergo ad eam cordis
intemperiem, quę in eius succis reperitur
(inæqualem) cordis palpitatio subsequa-
tur, quædam intemperies causa palpitati-
onis erit. Proprii autem cordis ipsius suc-
ci ii sunt, qui in cordis corporę non in ca-
uitatibus continētur. Hos igitur inæqua-
liter exardescere vbi cōtingat, cordis ad-
erit palpitatio. Nam cum incendium cor
ferre nequeat, & conetur valde se dilata-
re, ac in omnem partem expandere, non
tamen omnes partes, quòd non omnes e-
adem laborent intemperie, eundem au-
spicentur eodem tempore motū, inęqua-
litas corripiat, ac per interualla, vbi calida
superior euadat intemperies, in pulsu ma-
gnitudo percipiatur necesse est, ac vehe-
mentia; dummodo facultas non sit op-
pressa,

preſſa, aut quoquo modo reddita imbe- Cap. XIII.
cillis. Atque hæc quidem palpitatio in initiis febrium, quæ caloris fomitem in ipſo corde habent, forte tantum fit; dum nondum opprimitur vitalis facultas, quæ tamen mox citiſſime per hos affectus labefactatur. Si igitur de natura longe deflectant inæquales hæ intemperies, palpitationem hanc excitabunt. cum vero dicitur non excitari; aut de æqualibus, aut non adeo magnis intemperiebus, dictum putato. Huc ſpectat, niſi fallor, Aphoriſmus LXV. ſectionis quartę, ſi per καρδιωγμὸν motus palpitationis circa cor intelligatur, vt nonnulli, quos quidem Galenus minime reprehendit, intellexerunt: εἰ δὲ καὶ τὴν πυκνὴν καὶ ταχεῖαν κίνησιν τῆς καρδίας, καὶ μάλισθ' ὅταν ᾖ καὶ παλμώδης, ἀκούοι τις εἰρῆσθαι καρδιωγμὸν, ἔσχατον ἤδη τοῦτο κακόν ἐστι, σημαῖνον ἐκπεπυρῶσθαι τὴν ζωτικὴν ἀρχήν. *Quod ſi quis per* καρδιωγμὸν *intelligat motum celerẽ ac frequentem ipſius cordis, ac præſertim cum palpitatorius fuerit, id valde malum fuerit, cum vitalem facultatem ſuperexardeſcere ſignificet.* Palpitationem enim cordis ex calore prodeũtem, non niſi vehementiſſima ferre febris poteſt, & ob id malum eſſe ſignũ ab Hippocrate dicitur. Ceteræ, præter hanc vnã,

intemperies, nullam inferre palpitationē possunt, nisi aliquem inducant morbum, à quo læsa vitali facultate, in hunc palpitationis motum, cor ipsum deueniat. Frustra igitur afferuntur in medium multiplices huius symptomatis causæ; nam si remotas quasque contemplari velimus, nec inutilis omnino erit ad curationem sermo, cum harum pars maior cito desinat, atq; ipsa relinquatur affectio vnà cū causa proxime illam excitante, quæ sola tollenda est, si finem symptoma sit habiturum: nec breuibus, quòd illæ plurimæ esse possint, recenseri queunt. Si quis adhuc frigidam intemperiem, palpitationis causam esse pronunciet, non reluctabimur; modo calidæ coniungi intelligat illam, vt quanuis hæ loco distent, in corde tamen ipso inæqualiter euarient. Humiditas tanta esse nequit, quæ motum inferat palpitatorium, cuius causa non sit humor excedens. Ea deniq; siccitas viuente animali reperiri non potest, quæ ita priorem motum impediat, vt maiorem ictum cor denuo tentare post illum cogatur, ac possit efficere. nam æqualiter fit siccitas, id verò symptoma inæqualitati nititur. In his porro siccis cordis intemperātiis, durities

rities vt plurimum arteriis accedit, quæ Cap.XIV & ipsa quo minus ipsa arteriarum corpora aut ipsius cordis cauitates extendantur, & quodam manifesto insurgant impetu, prohibet. quemadmodum & ipsa humiditas, dum ea reddit molliora.

An cordis palpitatio ab occulta qualitate fiat.

Cap. XIV.

Sed præter manifestas de quibus egimus qualitates, vtrum cordis palpitatio ab occulta possit excitari qualitate, iã est inquirendum. Occultam qualitatem, & veneni genus aliquod extrinsecũ, cordi & vitali facultati inimicum, & interius etiam existens ex ingenti ad corruptelam mutatione in humoribus facta, intelligimus. Neque verò opus est hîc pluribus disserere, an malignitatem hanc humores induere possint. quandoquidem constat ex iis plurima inferri symptomata, quæ aliàs afferre ebibita, aut eiaculata venena consueuere. Nuñc an hoc vnum palpitationis inducant, inuestigamus. Sub venenata qualitate, pestilentẽm aerem cõplectimur. Atqui pestilentem aerem putredine infectum, si is spirãdo attrahatur, ac putredo ad cordis corpus perueniat, mo-

deratos vndequaq; pulſus efficere, III. de præſag. ex pulſ. cap. III. Galenus obſeruauit. Aliquando tamen, vbi accidat, cor contra eſſe affectum, ac humores qui in eius cauitatibus continentur, vt ſcilicet aliam quidem, eamque manifeſtam, cor qualitatem habeat, ab humoribus; aut cũ venenata qualitate decertet, cum poſſit adhuc cordis eiuſq; facultatis robur vigere, magni fient pulſus, vnde nil mirum tunc vitalem facultatem inſurgere, ad rerum vel ſola qualitate infeſtantiũ, expulſionem. Hoc autem fieri, ſcilicet vigere cordis robur, etiam ad peſtilentis aëris occurſum (quod tamen perpetuum non eſt) ibidem cap. II. Galenus ipſe fatetur. Eſt enim quandoq; vel calida intemperie corde laborante, aut venenata qualitate, in corde robur, vnde magni fiant pulſus: ἢ διὰ λοιμώδη τινα εἰσπνοὴν, ἁπτομένου τοῦ σώματος τῆς καρδίας, ἢ τινὸς ὅλως δηλητηρίου ποιότητος, ἰδιότητος καθ' ὁντιναοῦν τρόπον, ἐπὶ τὴν καρδίαν ἀφικομένης. Quanuis autem non decernat eo loci an tranſmiſſa qualitate tantum venefica, vel potius ipsâ venenatâ ſubſtantiâ, cor efficiatur; vtrunq; tamen contingere poteſt. Quo quidem tempore non ob humorum copiam, ſed ob qualitatem in humoribus

moribus contentam, non magnos tantū inæqualesque ictus, sed & concussionem quoq; cordis aduenire necesse est. Ac licet prauas cordis διαθέσεις, vel à forti duntaxat intemperie, aut a venenoso humore δι' ὑγρότητα φαρμακώδη dum fieri scribit, non adhuc palpitationis meminerit, id tamen & circa eius visceris palpitationes, ob eandem causam statuendū est. Quod optime itemque manifestę docuit Aretęus II. de causis & signis acutorum cap. III. *Cibi cordi nocentes, non stomacho officiunt, sed cordi per eum noxam infligunt. Siquidem & ab illis morientes cordis affecti notas repræsentant, arteriarum motus paruos debilesque, cordis concussionem cum vehementi palpitatione: πάταγον τῆς καρδίας ἐπὶ πηδήσει καρτερῇ· vertiginem, animi deliquium, torporem membrorum, resolutionemq;, copiosum sudorem qui supprimi nequeat, refrigerationem in toto corpore, sensus vocisq; priuationem.* Venenatam igitur qualitatem, tum inter cetera symptomata ad vim vitalem spectantia, vt imminuti motus cordis, etiam deprauati, qui concussione ac palpitatione fit, motus subsequitur. Atqui nos quoque quorundam esse symptoma venenorum, palpitationē cor- Cap. XIV

dis arbitramur, eorum potissimum quæ ab arte fabricata sint, temporanea, ac paulatim enecantia. Quin aliqua scimus nulla arte adhibita, quæ palpitationem cordis inducunt. Sunt ex iis, quæ sanguinem melancholicum efficiunt, mentemque perturbantia, ac fatuos reddentia, amatoria pocula ingrediuntur. Ipse demum sanguis melancholicus effectus, ob quandã eius humoris proprietatem, sæpe palpitationes inducit in ipso corde, non quòd ater crãssusq; existat, sed quòd eam accipiat qualitatem cordi aduersam. Denique si quælibet corporis pars, expultrice vi prædita est, vt ea quæ sibi molesta sunt, depellat; cur eandem facultatem cordi, eiusq; facultatis vsum abnegemus, quod si nõ possit efficere, vita prorsus priuetur animal? Inter occultas qualitates, & quædam astrorum positiones, quæ horũ symptomatum causa esse creduntur, enumerandæ sunt. Nam, vt inquiunt, Sol Dominus primæ in sexta, aut ipse Dominus sextæ existens, à maleficis afflictus, ac debilis, cardiacas affectiones, cordisq; tremorem affert.

Reliqua

Reliquæ quas eſſe palpitationis arbitrantur cauſæ proponuntur. CAP. XV. CAP. XV.

NOn omne quod vim vitalem deiicit, aut cordi quoquo modo aduerſatur, cordis inferre palpitationem arbitramur. Arabes tamen huiuſce ſymptomatis dum cauſas enumerant; quicquid præter naturam, cordi ſiue per ſe, aut per cõſenſum euenit, cauſam deprauati motus cordis eſſe pronunciant. Quominus & ſicca, & frigida, & humida intemperies cordis, inter morbos hoc ſymptoma producentes, adſcribendæ ſint, ſuperior de his omnib. intemperiebus ſermo prohibere videtur. Plures ab his tamen in medium cauſas afferunt, quas ad conſtituendam cordis palpitationem opportunas eſſe ducunt. Serpentes qui in ventre fiunt, id eſt, intraneorum animalia, vnitatis ſolutio, ac ſenſus cordis vehemens, ſpirituumq; defectus vitalium, inter has recenſentur. Quas tamen nequaquam pro cauſis palpitationis haberi, & ratio ipſa, ipſaque experientia, proculdubio ſinunt. Teretes primum lumbrici (nam ab aliis quæ imũ vellicare ſolent inteſtinum, *Aſcaridas* vocant, quòd longe à corde abſint, nec inde

cor in consensum pertrahere possint, fieri non potest; latus verò raro gignitur) palpitationem ferre minime queunt. Nouimus enim non paucos, quibus ingens lūmbricorum copia, non intestina tantum, sed & ipsum quoq; ciborum concoctioni dicatum ventriculum replebat, vnde sæpe vomitu expellebantur; nec tamē ii vnquam cordis laborauere palpitationibus. Prauam verò qualitatem ex iis suscitari, qua cor lædatur, non raro conspeximus. Ad imminutum verò cordis motum, aut abolitum, saltem quoad sensum, non autem ad deprauatum, læsiones ab his allatas, spectare didicimus experimento. Atqui vbi crassi ac viscidi succi (ea est in intestinis ex qua lumbrici generentur, prçexistens materia) non in ventriculo tantum, & in intestinis, vnà cum lumbricorum abundantia, sed in ipsis quoque venis redundent, ob crassitiem ac viscidita-tem, tum quòd facili negotio, aliquo accedente calore, in flatus abeant, palpitationem cordis procreabunt quo quidem tempore licet intestina vermibus scateant, ad eos tamen palpitationis causa minime referri debet. Qui enim vermium copia referti sint, plurimi sunt; palpitatione au-

ne autem cordis vnus aut alter corripi- Cap. XV.
tur. Inæqualitas tamen quædam pulſui accidit. ſunt enim parui, obſcuri, & difficiles. at diſtincte magis ex epiſtola Alexandri Tralliani περὶ ἑλμίνθων: *Sunt etiã qui hac affectione detenti, lumbriciſq; plurimũ creſcentibus, pulſus paruos, obſcuros habeant; aliquibus deficientes, rurſusq; redeuntes fiunt*: καὶ οἱ σφυγμοὶ μικροὶ γίνονται, καὶ ἀμυδροὶ, καὶ τοῖς ἐκλείπουσι, καὶ παλινδρομοῦσιν. Sed cum ob facultatis vitalis læſionem *languidi* fiant (ἀμυδροὶ) non poterunt palpitationem, quam inæqualitate, vnius præſertim vehementiæ conſtare diximus, inferre. Quæ quidẽ ratio eſt, cur aliqua tantum ex venenis, hunc motũ efficere arbitremur. Ac multo minus concuſſionem, eleuationẽ, depreſſionemq; inuitam, cum hæc ad morbos inſtrumentales pertineant. Vnitatis verò ſolutio, licet inter inſtrumẽtales numeretur morbos, non eſt huius ſymptomatis cauſa, niſi remota. licet enim corde vulnerato, palpitatio aggrediatur; ea tamẽ fit, quoniam vel in maiori copia, dilaceratis membranulis, quæ ſanguinis impetum coercere ſolent, vel ob enatam inflãmationem, ſanguis ad cor deferatur, vel aliunde concretus, in cordis ſinus depor-

tetur. Vehemens verò sensus, id est, cordis quædam constitutio ad sentiendum aptior, inter causas palpitationis, enumerari non debet, siquidem vbi sensus adfuerit exquisitus ipsius cordis, facilius quæcunque causæ solent officere, noxam inferent. Ipsi quoque Arabes, id aperte sentire videntur, dum propter hoc sensus acumen, promptius oblædi cordis vires affirmant, vt in intemperie, aut flatus in ipso pericardio redundantiâ. Præterea cũ ea quæ ex morbifica causa fit palpitatio, non accedente pulsificæ facultatis motu auxilioq;, ad cor vt est pars organica pertineat; etiam sine sensu partis, id est cordis, exquisito fieri poterit. Videtur tamen Auicenna Galeni sententię aduersari, qui non omnem flatum pro causa palpitationis accipit, sed tenuem reiicit: Auicennas tenuẽ quoq; recipit. Si igitur tenuis quoque flatus, palpitationis est author (hoc inferre velle videtur Auicennas) tantum vbi sensus cordis exquisitus fuerit, continget. Quæ tamen sententia veritati aduersatur. Potest enim vehemens esse cordis sensus, ac tenuis flatus, non tamen excitabitur palpitatio. Quod si nec valde acutus sit cordis sensus, ac tenuis tamẽ flatus,

tus,

tus, cordis cauitates occupet, tunc vel obtuſo exiſtente cordis ſenſu, ſi tenuis ille flatus agitetur, ac impetu quodam (quod quidem flatui ſæpe ſolet accidere) turgeat, exorietur nihilominus palpitatio. Sunt & à quibuſdam præter has, nonnullę palpitationis cauſæ in medium allatæ, vt cõferta ac ſubita euacuatio; tum fetus in vtero cõceptus. Atqui ſubitam euacuationem, ſyncopa excipit, non autem palpitatio. Fetus verò in vtero conceptus, cur palpitationem excitet, cum ibi ſecundũ naturam contineatur? Quot verò ex vtero gerentibus videas, quæ nunquam ſenſere palpitationẽ? Sed mos eſt quibuſdã omnia cõfundere, ac ſine ratione, omnia quæcunq; illis viſa fuerint, edicere. Iam alius quidam afferat lapillos, in cordis cauitatibus exiſtentes; quin vermes cor ipſum vellicantes. ſed iter doceant prius, per quod in cor ipſi vermes deferantur. Deliramenta hæc mittamus; ac ſi quæ tãdem fuerint aliquando ex his reperta, cũ rara ſint, minime ad artem ſpectare fateamur. Poſtremam afferunt ſpirituum defectum. ſed ſpirituum defectus aut palpitationis cauſa non eſt, aut valde remota, vt ſequenti capite manifeſtabitur. Per-

CAP. XV.

multi tamen decepti ſunt circa numerũ cauſarum palpitationis, quoniam non rectè Galenum intellexerunt v. de loc. aff. vbi palpitatorios affectus deſcribit. Duo enim ſunt quæ maxime conſiderari debent. Alterum, quod licet Galenus eo loci nonnullarum affectionum cordis meminerit, quas diſſectis animantibus inueniſſe ſcribit, non tamen affirmat eas eſſe palpitationis cauſas. Sed vt cor ipſum variis laborare præter naturam affectionib. oſtenderet, illa omnia ſcribere coactus eſt. Quare ii non recte Galeni mentem aſſequuti, cauſas palpitationis enumerãdo, decepti ſunt. Alterũ verò, quod pro natura palpitationis perfectè dignoſcenda præcipue fuerat animaduertendum, Galenum de duplici palpitatione, eo loci ſermonem habere. Quæ enim ſubito, ſine alio manifeſto accidente, euenire viſa eſt, & quæ ſanguinis miſſione tollitur, ea longe alia eſt ab illa, quam primo loco propoſuerat. Si enim motus diſcrimen quod has palpitationis ſpecies diſtinguit, diligentius animaduertiſſent, earum cauſas facilius fuiſſent aſſequuti.

Errata

Errata quorundam explicantur, & quæ hucusque enarrata sunt confirmantur magis. Cap. XVI

Cap. XVI.

Differentias omnes, causasq; palpitationis cordis, hucusque prosequuti sumus. Opportunum iam videtur antequam ad curandi rationem accedamus, nonnulla diligentius examinare, quæ eiusdem symptomatis naturam, clarius adhuc & luculẽtius aperire possunt; ac præsertim decernere, quæ recte aut minus ab aliis de hac re dicta sint. Cum igitur triplex sit cordis palpitatio, Eleuatio scilicet cordis & subsidentia à flatu, vel humore pendens; Motus cordis vehemens & inordinatus, ex facultate læsa; ac Totius corporis cordis concussio ex vtraq; causa proficiscens: hæc omnia cum præter naturam sint, nec ad morbos, morborũq; causas referri possint, ad symptomata spectabunt. Vnicum verò genus symptomatis hæc tria complectitur. Siquidem sub illegitimo motu continentur. Inordinatus quidem & inæqualis, sub vitiato pulsuum actionis motu, κακοσφυξίαν appellant: reliquos verò motus, quoniam motus & quies ad idem genus pertinent, tàm

deprauato earum partium, quæ mobiles naturâ ſunt, motu; quàm iis quæ naturâ immobiles ſunt, loco motis, ad illegitimi motus genus referri, conueniens eſt. In qua quidem re, vnius Hieronymi Mercurialis ſententiam mirari licet, qui motum palpitationis ex flatu prodeuntis, verum eſſe ſymptoma inficiatur. Omiſſa enim ipſius Galeni authoritate, qui inter ſymptomata, palpitationem pluribus in locis enumerat, ac in iis præſertim, in quibus præmiſſa triplici ſymptomatum differentia, ex inſtituto de iis pertractat, eaque omnia ſub illis comprehendi docet: cum palpitatio hæc, morbi, ſcilicet obſtructionis comes ſit, quomodo ad aliquod ex tribus ſymptomatum generibus referri non debet? præterquam quod ſi propriũ ſymptomatis eſt, vt ſit præter naturã, cur motum hunc qui omnino præter naturã eſt, à veris eſt ſymptomatibus excludendum? Hoc enim ad ea ſymptomata, quę & *familiaria*, & *propria*, vel *forte quadam incidentia* appellantur à Galeno primo meth. cap. VIII. οἰκεῖα, καὶ ἴδια, καὶ συμπίπτοντα, minime ſpectat. ſed ad ea quæ παρὰ φύσιν. Galenus tamen primo meth. cap. VII. (vt id obiter adnotemus) inter cauſas, motum voluntariu-

luntarium impedientes recẽſet, ſe ipſum Cap. XVI
tamen declarat primo in tertiũ de morb. vulg. dum dicit, motum palpitationis citra voluntatem in voluntatis inſtrumentis fieri. Sed quis & vera & non vera introduxit ſymptomata, cũ quicquid quod præter naturam animali accidat, cum nõ fuerit morbus, eiuſve cauſa, ſymptoma ſit? ſiue autem *ſymptomata* ſiue *affectus* (πάθη) nomines, nihil refert; hãc enim appellationem, & ipſa quoq; ſymptomata ſortiuntur aliquando. Præterea affirmare, quod ille facit, motum omnem ex ſolo morbo factum, non eſſe motum deprauatum, nihil eſt aliud quàm cõuulſiones, emproſthotonos, ac tetanos appellatos, naturales eſſe motus pronunciare; atque hæc tamen omnia à ſolo morbo fiunt. Licet autem in hoc omnes conueniant cordis palpitationes vt ſint præter naturam, ac ſub illegitimo motu comprehendantur; non tamen vnica omnium definitio eſſe poteſt. Etenim non idem in omnibus motus eſt. Quapropter palpitationis definitionem quam affert Fernelius, non eſſe admittendam arbitramur. Ea verò eſt, vt *palpitatio* ſit *cordis concuſſio vehementi ſyſtole ac diaſtole moleſta.* Nam etſi, quod quidem

aliquando fit, ſi ſimul motus ſyſtoles ac diaſtoles, atq; cordis concuſſio fiant, vt animaduertimus; ſæpius tamen, imo ferè ſemper, alter ex his tantummodo ſpectatur in cordis palpitatione motus. Atqui Hieronymus Mercurialis, Ariſtotelis definitionem ex libro de Reſpir. c. xx. recipit ac laudat, qua dicitur, *Palpitationem eſſe impulſum calidi in corde propter refrigerationem excrementitiam, & colliquatiuam, vt in morbo qui vocatur palpitatio.* Hanc verò definitionem, nõ palpitationis quæ eſt præter naturam motus, ſed vniuerſalis cuiuſdam arteriarum extenſionis ad hauriendum frigidum aerem, eſſe conſtat: eam πήδησιν appellat, non παλμὸν, eſſe tamen communem palpitationi; quæ tamẽ palpitatio, *morbus* impropriè eo loci dicitur ab Ariſtotele. Sed hanc poſtea minime probans, conatus eſt ipſe vberiorem afferre in hunc modum: *Palpitatio cordis nihil aliud eſt niſi eleuatio & depreſſio corporis cordis, vehemens & inordinata, ita vt functiones cordis lædantur.* Quæ tamen definitio permultis ſcatet erroribus. nam non eſt eleuatio & depreſſio corporis cordis, ſed ventriculorum, ſeu cauitatum aut ſinuum ipſius cordis. Præterea actio-

actionum læsio inepte symptomatis defi- CAP.XVI
nitionem (iam enim palpitationē vt symptoma definit) ingreditur. Id enim proprium morbi est, non symptomatis. Quare & arbitrari symptoma nō esse symptoma nisi lædat actiones, eius est qui symptoma à morbo distinguere non nouerit. Esse enim præter naturam tantum ad cōstituenda symptomata sufficit. Vnde nil mirum si palpitationem ab animi affectibus ortam, quòd non lædat cordis functiones, ab hac reiiciat definitione. quanuis ceteri omnes hanc valde cordi, eiusque facultati fateantur officere. Igitur sic definienda sunt, vt arbitror, ista symptomata. Id, quod fit eo modo quo ceteræ in musculis palpitationes, vt sit *Eleuatio & depreßio violenta, nunc per rara, nunc verò per crebriora interualla, ventriculorum cordis præter naturam, ex flatu, vel humoribus facta.* Alia palpitatio qua cor cōcutitur, vt sit *Corporis cordis violenta, ac præter naturam concußio*: quanquam forte verba illa, *præter naturam*, amoueri queant; cum cordis corpus, eiusque cuspis quæ & ipsa exagitatur, naturâ sit immobilis. Tertia verò palpitatio, vt sit *Motus inordinatus, inæqualisq́ue, & vehemens ex pulsifica facultate proficiscens.* Ex his

patet quæ cordis palpitatio ſit diuerſa à ceterarum partium palpitatione. Sũt verò diuerſæ, & ſecundo, & tertio loco deſcriptæ. Prima verò ad eundem modum fit, vt in muſculis. licet Mercurialis aliter ſenſiſſe Galenum affirmet, ac palpitationem cordis & arteriarum eſſe diuerſam ab aliarum partium palpitatione; cum nõ hoc ex Galeno, ſed cordis palpitationem eſſe alium à pulſu motum, eliciatur manifeſtè. Prima quoque ac ſecunda palpitatio ſolius morbi ſunt opus; Tertia verò etiam facultatis. Nec deſunt, qui circa cauſas, & ſigna ac modum generationis ipſius palpitationis decepti ſint. Hieronymus Capiuacceus tam frigidi quàm calidi humoris abundantiam, frequentes ac veloces cordis motus ſubſequi affirmat. Sed bifariam decipitur. Si enim intelligit de motu ab ipſa materia excitato, is vt plurimum rarus eſt: ſi de motu ex facultate pẽdente, etiam fallitur; quoniam ſi ibi ſint frigidi humores, aut cor eadem laborat intemperie, vel contraria. ſi contraria, motus erit moderatus, vt nullius intemperiei exceſſus tunc licet adſit, percipi poſſit: ſi eadem, omnino rarus & tardus pulſus erit. hæc ex libris de præſag. & de

cauſis

causis pulſ. quin ab ipſa experientia deſu- Cap. XVI
muntur. Fernelium quoque decipi opinamur, quòd ſigna quædam quarundam cauſarum enumeret vt propria, quę tamẽ propria non ſunt. nam inter ſigna retorridæ ac præaſſatæ bilis, quæ ex liene per arterias proficiſcens ad cor vſq; deducatur, ac ob id palpitationem inferat, conſpicuã & moleſtam pulſationem circa lienem recenſet. hoc verò cõmune eſt omni palpitationi, quæ fit pulſifica facultate læſa. etenim lien permultis quidẽ arteriis perfuſus eſt, ita vt Vlmus quidam Pictauienſis propter ingentem arteriarum numerum, conatus ſit oſtendere lienem ad ſpiritus vitales fabricandos conſtitutum eſſe. Quoniam igitur ibi permultæ ſunt arteriæ, ſi facultas pulſifica quauis ex occaſione fruſtretur, motumque edat inordinatum atque vehementem, is in ipſo præcipue liene manifeſtabitur. Nec minus Euſtachius Rudius decipitur circa cauſas & ſigna horum ſymptomatum. Nam affirmare pulſum effici deprauatum (non deprauatur verò ſecundũ huius viri placita, niſi vbi eius frequentia ac magnitudo augeantur) ob ſpirituum vitalium defectum, quod tamen & Felix Platerus, a-

liique ex recentioribus ſcripſerunt, præter rationem dictum eſſe opinamur. Natura enim quæ pulſifica facultate ad ſpiritus vitales fabricandos vtitur, nec defectum ſpirituum agnoſcit, nec eligit valentiori, aut frequentiori motu, materiã vnde rurſus generentur attrahere. Sed hoc exuperantis caloris eſt opus. Cum enim ob aliquam earum quę ſpiritus euaneſcere cogunt cauſam, cordis motus languidior redditus eſt, neceſſe eſt ob aëris defectum, imbecilliori iam cordis attractrice, calorem in corde augeri. tum calor ibi auctus, duplici ratione, & quoniam non habet effluxum, imminuto motu, & quoniam frigida quæ ſolet admiſceri ex aëre ſubſtantia deficit, ad maiores, ac ſi opus ſit frequentiores motus, cor ipſum impellit. Rem ita ſe habere illud præcipue ſuadet, non ad omnem ſpirituum defectum palpitationem ſubſequi. in omnibus tamen animi deliquiis ſpiritus maxime diſſipantur. Quapropter qui ſyncopam ex crudis ſuccis patiuntur, nunquam, quòd habitus in illis tum frigidior ſit, poſt ſyncopam palpitatione corripiũtur, ſed paulatim in his ad priorem motum cor redit. Adde quod ſępe palpitationes in ſyncopam,

copam, rarissimè syncopæ in palpitationē desinere videantur. Ob eandem causam vehementiores pulsus in proxime morituris, cum iam omnino facultas languet, ac vires penitus deiectæ sunt, percipiuntur: calor enim aëre destitutus augetur, ac robur cito tamen deponendum assumit. Decipitur quoq; aut potius inani quodã astu ductus Galeno aduersatur, dum generationem huius symptomatis affert. nã frequentiam ex calore primum, deinde magnitudinem oriri statuit: cum vbique Galenus, tum maxime primo de præsag. ex puls. cap. 11. magnitudinē primo, mox celeritatem, ac postremo loco motus frequentiam adiũgi, aperte decernat. quod, & si Galenus non affirmaret, id per febriũ tempora quotidie experiri liceret. Quare dum signa deprauati motus cordis prosequitur, frequentiam in primis enumerat, eamque inter signa palpitationis recenset propria & inseparabilia. Verum & hîc quoque insigniter lapsus est; nam si cordis motus deprauatus is est, qui non imminuitur, sed augetur; vt illi visum est; licet augeatur frequētia motus, imminuitur tamen quandoq; penes reliquas differentias, vt sæpe, vt in formicante pulsu,

CAP. XVI

cum extrema frequentia, paruitas ac imbecillitas insignis coniuncta sit. An igitur eo tempore auctus, an imminutus cordis motus appellari debeat, quiuis pronunciet. Causam certe extremæ imbecillitatis tunc adesse scimus, ex qua non deprauari, sed valde motum imminui manifestũ est. Iam quòd Altimarum reprehendat, ob id quod omnes deprauatæ pulsationis differentias minime explicet, contradicendi studio id adscribendum est. Ea enim pertinent ad libros de pulsibus. nec ipse Galenus, qui & doctrinam pulsuum accurate conscripsit, & palpitationis, licet obscure ac sparsim, naturam complexus est, frequentiam tantum pulsus vnquam pro palpitatione accepit. vt minime necessarium fuerit ea prosequi, quæ cũ proposita fuerint, quoniam nihil habent cõmune cum palpitatione, quæ maxime, vt demonstraui, vehementiâ constat, præter rem dicta videri possint. Idem dum Altimarũ arguit, quòd flatum in cordis sinibus existentem, palpitationem efficere dixerit, quomodo ad hoc respondere poterit; cum motus aliquando palpitatorius in corde & non in arteriis sentiatur? at verò necesse fuerit si ex cordis facultate

pulsa-

pulſatili, non ex flatu, aut alia quapiam Cap. XVI
morbifica cauſa excitetur, vt arteriis quoque communis efficiatur. Quare & cor in palpitationibus ad vtrium inſtar dilatabitur aliquando, ob repletionem; non ſemper replebitur quia dilatatur. Nobis videtur tamen in hac re Altimarum reprehenſione dignum eſſe, quoniam calorem nunquam aliquo pacto huius accidentis cauſam eſſe poſſe ſtatuerit, cum vt oſtenſum eſt, ſæpe ex cauſa calida exoriatur. Fallitur longe magis ob id, quòd crediderit palpitationem ex flatu genitã, ſanguinis miſſione curari. Luculẽter egit de modo generationis huius affectus, ac ex refrigeratione illum oriri recte decreuit. Quid igitur in affectu frigido ſanguinem mitti iubet, aut hortatur? Imo hinc plures eſſe palpitationis ſpecies, pluresq́; eius cauſas intelligere licebat, cum Galenus quaſdam ſanguinis miſſione curare ſolitus fuerit. Has verò non eas eſſe, quæ ex flatu ortum habent, ob eam rationem certum eſt. Ipſe enim Galenus libro de Rigore ne verbum quidem pro curanda palpitatione de ſanguinis miſſione, ſed vnum duntaxat palpitantibus eſſe remedium fatetur, per excalefacientia & attenu-

antia. Sed quanquam id fieri persuadeat Altimarus, suspectam tamen habuisse videtur hanc curandi rationem. Quapropter cum morbi causa ac natura minime paterentur eiuscemodi auxilium, ratione partis affectæ conuenire dixit, tũ non curare penitus; sed iuuare. quæ tamẽ ad sanguinis missionem indicandam minime sufficiunt. Abstinendũ igitur à venę sectione, ac ab omni sanguinis missione, in palpitatione à flatibus orta. Sed rursus ad Rudium, si per cordis motum deprauatum, motum frequentem ex facultate prodeuntem, qui motus tantum in palpitatione fit, vt is voluit, intelligit, ac nos vult intelligere, cur obsecro in curatione palpitationis, frigidam intemperiem inter causas motus frequentis enumerat? quomodo ex intemperie frigida, pulsus oritur frequentia? ex quo Galeno id nobis, ô Eustachi, persuadebis? id etiam, quo authore, eandem deprauationem motus cordis, quæ frequentia constat & crebritatem habet, vt tuis vtar verbis, pro inseparabili ac proprio deprauatæ pulsationis indicio, fieri ex frigido pericardii tumore, aut ibidem eius naturæ humore collecto? Sed hæc adnotasse sufficiat. Quæ enim

nim ad cardiacam, ac ſyncopam transla- Cap.XVI ta ſunt, ſpectant tamen ad palpitationem; aut quæ ex palpitatione in eas affectiones traducta ſunt, iam merito ſunt ab iis, qui hoc ſcribendi munus ante nos ſuſceperunt, exploſa. Quomodo deſcriptę hucuſque affectiones dignoſcantur, atque curentur, qui ſequitur liber explanabit.



SEBASTIANI PISSINII DE CORDIS PALPITATIONE cognoscenda atque curanda liber II.

De signis quibus unaquæq; palpitationis causa dignoscatur. CAP. I.



IVS igitur palpitationis, quæ vehementi ac sensibili pulsu, ex vitali facultate proficiscente constat, duplex est causa. Intemperies calida inæqualis, Arteriarumq; aut vasorum cordis coarctatio. Calida intemperies vel in humoribus in corde vel in arteriis cõtentis, vel in cordis & arteriarum corpore, tunicisve, posita est. In corde autem, aut qui in eius cauitatibus continentur, aut proprii cordis succi, intemperiem recipiunt. Cor autem, quemadmodum & arteriæ, aut per se, aut per consensum afficiuntur. Per se quidem eo modo quo dictum est, excalefactis; per consensum vero ob

ró ob reliquarum partium inflammatio- Cap. I.
nem, ac earum præsertim, quæ cordi proximæ sunt. Arteriarum autem coarctatio, vt & vasorum cordis, aut exterius fit ex re quapiam comprimente, aut interius obstruente. Exterius comprimunt, tumorũ genus omne, circumfusus humor, aut flatus. Tumores porro aut sunt in ipso corde, vel in arteriis, aut in vicinis cordi regionibus. Interius verò crassi ac viscidi succi, atq; humorum abundantia obstruunt. Hæc verò vel cunctarum arteriarũ est, vel quarundam. Omnium, dum plenitudo ad vasa adest; quarundam autem, vt in animi motibus. Eius verò qua cor concutitur, hæ sunt omnes causæ, ac præter has ipse quoque flatus. Veræ denique palpitationis, eius scilicet de qua Galenus libro de Rigore, & flatus & humor intra cordis cauitates existentes. Quomodo ex his omnibus vehemens ac sensibilis ipsi laboranti motus circa cor, aut arterias fiat, enarratum supra est. Nunc quæ sit via, quæ nos in cunctarum causarum dignotionem deducat, aperiendum. Quod cōmodius assequemur, cum situm ac naturam partium, quarum disquirimus affectiones, iam attulerimus. Ab intemperie

Thomas Jarowski

Calida intemperies inæqualis in propriis cordis succis.

igitur calida exordientes, si ea sit in propriis cordis succis dignoscetur, quoniam præter vehementem, ac valde sensibilem pulsum, aderit quoq; alius à pulsu motus, scilicet cordis totius concussio: ἡ μὲν ἐκ τῶν ὑγρῶν ὁρμωμένη μετὰ παλμοῦ γίνεται τῆς ὅλης καρδίας. Febris consequitur perniciosa, pulsus mox cito languent, ac à vehementia recedunt; cum pulsus omnes qui intemperiei comites sunt ipsius cordis, imbecilli sint omnes.

Intemperies ex putredine.

Quod si inæqualis feruor ex putredine sit excitatus, iam multo euidentius ac citius vehementiâ destituuntur: ac si maxima sit intemperies, collectiua omnino aderit inæqualitas. Est tamen aliquando, vbi aer quem spirando attrahimus infectus putredine sit, ac putredo ad ipsum cordis corpus peruenerit, cum moderati vndequaque pulsus, præterquã in celeritate sunt, qui tamen & ipsi paulo post languidi efficiuntur.

Humores intra cauitates excalefacti.

Qui vero ad cauitates ipsius cordis pertinent humores si exardescant, concussionem cordis & ipsi ferunt, ac distinguuntur à propriis, quòd in reliquis corporis partib. caliditas percipiatur; ac longe prius, quàm ipsum palpitationis exoriatur symptoma, excalefacti sanguinis indicia in conspectum prodeant.

deant. Inſeparabilis quoque eſt ab excalefactis valde humoribus, ſpirandi difficultas; nam flammeam in pulmone atque corde caliditatem, multa, conferta, feruens, & quæ exufflando fiat reſpiratio, adeſſe commonſtrat. Id etiam confirmat thoracis, præcipue circa cor ingens caliditas, vt ardere videatur, oculorũ rubor, capitis ardor, ſitis vehemens, lingua arida & ſalebroſa, & quod dicat infirmus ſeſe ardere. Iam non in corde tantum, ſed & in omnibus arteriis vehementia ineſt, ac magnitudo, ſtatim ac humores plus æquo incaleſcant; dum tamen robur vigeat facultatis. Si verò ipſum cordis corpus intemperie laboret inæquali (nam ab æquali non niſi parui ac languidi fiunt pulſus, ſaltem aliquo iam temporis ſpatio, ab excalefactionis initio tranſacto, cum ſcilicet incaluit iam; nam vbi adhuc incaleſcat, vehemens quidem ac robuſta facultas eſſe poterit) omnino pulſus inæqualis fit. Vbi enim ipſum cordis corpus inciderit in intemperiem aliquam inæqualẽ, non poterunt pulſus, cum ipſius cordis, tum omnium animantis arteriarum, in variã non degenerare inæqualitatem. Non tamen hæ inæqualitates quæ fiunt in hac

Cap. I.

intemperie (fit namq; in magnitudinem, paruitatem; celeritatem, tarditatẽ; remissionem, vehementiam; crebritatem, raritatem mutatio: ac si maxima sit, vt dictũ est, intemperies, in pluribus arteriarum quoq; motionibus) hanc aperte demonstrant: quoniam non tantum sequuntur inæqualem cordis intemperiem, sed & cordis oscillorum obstructionem. Cum enim valide comprimuntur arteriæ, aut obstruuntur, vt integra facultas sit, inæqualitas quædam corripit pulsus: at si facultas vnà sit affecta, cum eo affectu instrumentorum, clarissimum est magis variam oportere inæqualitatem existere; itemq; si ipsum cor infestet inæqualis intemperies. Ob hanc rationem & pulsus quoque intermittens, non est huius intẽperiei certum indicium. Proprium autem corporis visceris intemperiei symptoma est, pulsus qui bis feriat; ac licet nõ omnibus æque facilis sit huius pulsus dignotio, alia sunt signa quibus inæqualis cordis intemperies deprehendatur. Omnia enim sunt reliqua animaduertenda, præsentia, præcedentia, & externa. Nam cum peripneumonia, suppuratio, pleuritis, phthisis, denique illic aliquis exortus absces-

abſceſſus ſit, vel aſthma, vel morbus quiſ- CAP. I.
piam ex deſtillatione, vel cruentum ſputum, aut reiectio partis alicuius pulmonum, aut breuiter quoduis vnde redundantia, vel craſſitudo, vel lentor humorũ obſideat pulmonem, accurate conſiderãdum eſt, ecquid ex arteriarum obſtructione, pulſus inæqualis fiat. Sin horum nihil ſit, explorandum ipſum eſt viſcus, præſertim ſi anteacta ægroti vita, nec craſſis ſuccis nec lentis videatur corpus impleſſe, à quibus aut foris offuſis, aut òbſtruentibus arteriarum oſcilla, inæqualitas cõcitetur. Nam ſi quid horum, vti docuimus, vel inflammatio, vel omnino tumor præter naturam illic exurgat, aut affluentia humorum grauet facultatem, incidunt pulſus in inæqualitatem. Quare ſi nec adſint indicia quibus noſcantur hi affectus, nec hectica inæqualitas & ſtabilis duret, intemperies exiſtimanda inæqualis in cordis corpore eſſe. Quæ cum etiam ſit duplex, altera in ſuccis eius propriis, altera in partibus ſolidis: illa ex ſuccis profecta vnà cum totius corporis cordis palpitatione fit, hæc ex ſolidis partibus abſq; palpitatione. Verum ſi maxime ſit inæqualis cordis corporis intemperies, & hîc quo-

que palpitationē adesse oportebit. Quomodo autem inæqualis cordis intemperies sit pulsus inæqualitatis causa, non est nunc opportunum examinare. etenim hic tantum signa percurrimus huius intemperiei; illud Galenus II.de præsag.ex pulſ.cap.VII.abunde prosequitur. An vero in hac inæquali cordis intemperie plus caloris sit vel frigiditatis hæc ostendent; nam si calidiores partes motui præsint, maturior simul & celerior, maiorque fiet distentio; sin frigidæ, serior, tardior, atque minor. Longior quoque quies, pluribus existentibus partibus frigidis; breuior, calidioribus erit. Si autem ob humorū copiam facultas lædatur, cum maior aut minor noxa, à maiori vel minori humorum quantitate, aut à loco in quo continētur, cordi communicetur, idcirco plurima erunt huius rei indicia. Hæc verò maiori ex parte desumuntur ex pulsu, quanuis arduum sit vnamquanq; harum affectionum ex pulsu dignoscere; quòd & hîc ab eadem pulsus differentia, plures non raro significentur affectus. Ac primum scire licet humorum abundantiam inæqualitatis pulsus causam existere, tam eius quæ in vno pulsu contingit, quàm illius quę in pluri-

Humorum abundātia, & Obstructio.

pluribus. Collectiua enim pulsus inęqualitas, præterquam quod inæqualem cordis intemperiem significat; instrumentorum præterea vel facultatis comes est vitiorum. nam aut oppilationes, aut compressiones, aut durities, aut nimios humores subsequitur, vt nimios humores accipias qui ad facultatem æstimantur. Si igitur ex humorum redundantia palpitatio excitabitur, dignoscetur, quoniã vel pulsus aderit intermittentia, vel caprizans, aut vndosus erit pulsus, vel intercurrens, aut quædam alia accedet inæqualitas, vt iamiam manifestum fiet. Intermittentes porro pulsus, facultas vel quòd grauetur ab humorum copia creat, impedita quominus motum debito tempore auspicetur, vel per crassitudinem vel per copiam humorum, quæ obstruat aut oscilla cordi vicinarum arteriarum, quà attrahit rursusq; emittit materiã, aut ex oscillis quadantenus vniuersam vasorum capedinẽ. Cum enim ob validam oppilationem, aut compressionem, & constrictionem, nihil prorsus in se allicere valent arteriæ, intermittentis pulsus causa efficiuntur. Quapropter non solum facultatis infirmitas inducit intermittentem pulsum, sed & in-

CAP. I.

ſtrumentorum valida oppilatio, aut compreſſio, & adſtrictio. Fit igitur pulſuũ inęqualitas interim ex ſanguinis copia, qui aut in venas, aut arterias ipſas ſit infuſus; & cum facultas humoribus comparata, contentis in ipſo corde, & in continentibus cum ipſo arteriis veniſq;, robore cedit. An verò valida ſit vel leuis oppilatio; prope cor, vel longe ab ipſo corde; & an valde vel leuiter lædatur facultas, his deprehenditur notis. Primo ex inæqualitate quæ accidit in vno pulſu, vbi arterię dilatationẽ quies media interpellat, id colligere licet. nam ſi cum altera diſtentionis pars, quæ eſt ante quietem, celeriter fiat, quæ eſt à quiete, tardè; id ab inſigni humorum abundantia fieri neceſſarium eſt; niſi ſit aliquod vitium in inſtrumẽtis, quod quidem aliis manifeſtabitur indiciis. Nam ſiue copia ſit humorum quę degrauet, nihil obſtabit quo minus in media diſtentione ſubſiſtat faculeas, & quaſi reſpiret, atque inde reſiduum apponat: ſiue ſit valida inſtrumentorum obſtructio, ſiue compreſſio violenta, retineri hactenus veriſimile eſt motũ, quatenus ſpiritu deficitur, locum diſtẽtionis impleturo. Neceſſe autem eſt tum in hac, tum in ceteris

pulſu-

pulsuũ differentiis, in quibus media qui- Cap. I.
es distentionem intersecat, validam esse aut obstructionem, aut compressionem. Omnino enim consistere, & retineri, omnino significat obstructas esse semitas spiritus. Cum autem in ea, in qua celeriter primo distenditur arteria, mox quiescit, ac rursus quod reliquum est distentionis tarde perficitur, valde ab humorum copia facultatem grauari significet: non adeo magna è contra humorum colligitur abundantia, vbi vtrinque celeritas in distentione adsit, & ante, & post quietẽ. Humorum enim copiæ facultas adhuc, quòd non adeo insignis sit obstructio, repugnare videtur. At si quę intercedit quies longa sit, maiorem ibi obstructionem adesse demonstrat: si verò tarditas in vtroq; sit motu, iam omnino facultatẽ superari. Præterea hæc pulsuum inæqualitas, si cum paruitate, non tamen exquisita fiat (in ea enim spectari motus ille interpolatus minime potest) ac quoque vehementiâ pulsus destituatur, insignis certe oppilatio, ac præcipuarum, nec longe à corde remotarum arteriarum, significabitur. Cui vero magnitudo ac vehementia fuerint, is nec valde opprimi faculta-

tem, nec magnam reperiri humorum copiam, nec in regionibus adeo cordi proximis, oſtendit. Leuis an maxima ſit obſtructio, percipitur etiam ex hoc, quòd facultate graui onere preſſa, languidi, tardi, & parui, plurimi percipiuntur pulſus: leui verò exiſtente impedimento, plures vehementes, celeres, magni. At verò ex iis pulſibus, in quibus media quies diſtentionem interſecat, caprizans, & vndoſus ſunt. Vbi enim retinet facultas, quantum illa quidem præſtare poteſt, contentionē natiuam; arceatur autem à motu, vel ob humorum immodicam copiam, vel ob oppilationem, vel compreſſionē inſtrumentorum, quies tunc diſtentionem interpellat. Verum facultas quæ prius fuit victa, ſeſe veluti colligens, vireſque recuperans, imminet grauius, & vt ſuperet reiiciatque quæ moleſta ſunt, contendit; ac huiuſmodi pulſus caprizans appellatur. In vndoſo ſimiliter, dùm facultas à copia humorum oneretur, contentionem moratur, ac interpellat, atque diffindit illic, quò plurima confluxit. Sed cum vndoſus pulſus & ob facultatis quoque imbecillitatem fiat, dignoſcetur an ſit ab humorum copia: quoniam in hac magnitudo adeſt,

adeſt, in imbecillitate abeſt. Ipſa quoque facultas imbecilla, nõ ita crebro inæquales pulſus efficit, quemadmodum ſi a copia humorum opprimatur. Sed non ex iis tantum pulſuum differentiis, ſed & ex iis quæ continuam habent diſtentionẽ, indicia ſuperfluentium humorũ deſumuntur. Si enim tarde moueri incipientes, celeres deinde fiant, minus: ſin contra, magis ab humorum copia facultatem impediri pulſus denunciant. Omnes tamen minus, quàm vbi dilatatio in duo, intermediâ quiete, tẽpora diſtinguatur. Si vero qui celeriter moueri incipit, affatim commutetur ad tarditatem, aut qui tardè inceperat, reliquũ motus celerrime peragat, non facultatem tantum grauari; ſed etiam obſtrui, & premi declarat inſtrumenta. atque hi pulſus ab intermittentibus ob ſolam magnitudinem cauſæ diſtant: cum in intermittentibus ex maxima obſtructione non ad tarditatem tantum, ſed & ad ipſam motus priuationem pulſus deueniant. Quod autem, ſi adſit pulſus intermittẽtia, ea ſit maioris obſtructionis ſignificatrix, in qua plures deficiunt pulſus, ex ſe clarum eſt. Denique vbi earundem arteriarum nunc languidus, Cap. I.

nunc vehemens pulſus ſit, facultas nõ eſt per ſe quidem imbecilla, ſed abundantiâ humorum degrauatur. Exiſtente igitur intra venas, ac multo magis intra ipſas arterias, plenitudine: tum ſi craſſi ac viſcidi humores hæc obſtruant vaſa, quædam ex enumeratis in pulſu, percipietur inæqualitas. In acceſſionibus febrium, & in iis animi affectibus, per quos in profundum confluunt humores, inæqualitatem quãdam excitari, ob eandem rationem neceſſarium eſt. Sed hanc repentinam arteriarum repletionem, huncq; humorum concurſum, oſtendunt poſt febrium acceſſiones, ipſe calor febrilis; in animi verò affectibus, cauſa ipſa procatharctica. Oppletis verò arteriis leuibus, quædam quoque durities pulſui adiungitur. Hæc verò cum ſit quoque communis crudis circa arterias, vel in arteriis, enatis tuberculis, diſtinguetur ex pulſus inordinatione. nam ab humoribus excitata durities, inordinata eſt & inæqualis. Etenim ne paulisper quidem humorum copiam facultas ſuſtinet, ſed ſtatim id inæqualitate patefacit, ac ſanguinis motum, eiuſque exagitationem his aperit indiciis. Quod ſi crudi ſint & craſſi in vniuerſo corpore

ſucci,

ſucci, tum maxime intra venas, pulſus minores ſunt quàm pro ratione caloris, ſi febricitauerint; præterea, obſcuri omninoque inæquales, ſæpe ea inæqualitate, quã *ſyſtematicen* Græci vocant, ſemper verò eâ quæ eſt in vno ictu. Dignoſcentur etiam, quoniam & præcordia inflata erunt, & totum corpus ampliori mole, quàm pro naturæ modô cernitur. tum color aliis quidem ad albidius quàm pro naturali habitu, & intercute aqua laborantiũ magis ſimile, eſt mutatus; nonnullis etiam ad liuidius aut nigrius, quos quidem medici *plumbeï coloris* appellant. Præter hæc ex pulſu, ſigna quoque aderunt alia; nam vbi ſit plenitudo ad vaſa, tentio vt plurimum erit, ſi ad vires omnino grauitas adiungetur. Si ſanguinis ſit abundantia (πολυαιμίαν & πληθώραν vocant) ſi alterius ſucci, quã κακοχυμίαν, ſigna quæ vnumquenque humorem abundare demonſtrent; & ea demum, de quibus diffuſe Galenus libro de Plenitudine, & de curand. rat. per ſangu. miſſ. cap. IV. quæ quòd magis in promptu ſint, ea nunc libet omittere. At ſi non in humoribus cauſa lateat palpitationis, ſed ipſum cordis corpus afficiatur, quod quidem præter enumeratas intẽperies, gra- Cap. I.

uioribus interdũ excruciatur affectibus, in hunc modum manifestabitur. Si cordis corpus inflammatione tentetur, ex dissectione potius, quàm certo aliquo indicio deprehendi poterit; cito enim mors ad hanc sequitur affectionem. Inflammationes tamen ac Erysipelata ex cardiaca syncopa percipi possunt. ac si ad ventriculos cordis perueniant, dolor aderit, citiusque commoriuntur. Pericardio autem inflammato, ea spectantur signa, quæ septo transuerso eadem laborante affectione conspiciuntur, licet non adeo grauia in aliquibus ex his appareant symptomata. Febris adest, & cordis palpitatio assidua, non tamen tanta respirandi difficultas, tantusque dolor exercet, & pulsus sunt maxime inæquales, nec adeo delirant, vt in septo transuerso. Aqua præ nimia copia pericardium occupans perpetuam gignit palpitationem, absque manifesta causa corpus contabescit, siquidem hectica febris consequitur ad hunc affectum, & deinde repente moriuntur, pulsus est mollis, & languidus. Si palpitatio fiat à vaporibus melancholicis, constringi videbitur cor, & plurima hypochondriacæ melancholiæ signa conspicientur.

Cordis inflammatio & erysipelas.

Pericardiũ inflammatum.

Aqua in pericardio.

Vapor melancholicus.

Quod

Quod ſi qua inflammatio, aut abſceſſus, aut ſcirrhus, circunfuſa corpora afficiat, à quo comprimantur & coarctentur arteriæ, tum longioribus coguntur interuallis inæquales pulſus interpolare æquales. Sæpe enim earundem arteriarum eędem partes, ab iiſdem vel paribus magnitudine vel ſimilibus tumoribus premũtur. At ſi hæ ſint in ipſo corde affectiones, pulſus neceſſario inæqualis, ac virium defectus adiungetur. Si pulmonum pectoriſq; vitio palpitatio contingat, quod ſcilicet obſtruatur pulmo, aut corrumpatur, cordis palpitatio vnà cum reſpirandi difficultate aderit. Ac primum ſi ſit ob defluxã materiam in pulmonibus obſtructio, thorax multum dilatatur, nec pro ratione aer exit, & ſunt ſigna repletionis in faucibus, gutture, pulmone, vel pectore, ex materia influxa, aut tuberculis, vel inflammatione. Tuberculum à lentis humoribus ſtertore differt, ſi in aſperis arteriis hi ſint; à tenui fluxione aduentu repentino, nec febris adeſt. Circa leues verò arterias, ac in ipſo pericardio ſi fiant, nullam afferũt ſpirandi difficultatem, ſed pulſus æqualẽ inæqualitatem; eandem enim ſemper ſedem occupant. Corporis tamen vniuerſi,

CAP. I.

Tumores cordi & arteriis adiacentes.

Pulmonũ angustia ab humoribus.

Pulmonis tuberculũ.

ac pectoris præcipue emaciationem, inferre solent. At si corpus in palpitatione colliquatur, plerunq; est cum corruptione pulmonis, & adest color malus in facie, & roseus in maxillis, & fætor spiritus.

Melancholia. Si nihil horum adsit, sed color niger & splen durus, aut magnus, fit à melancholia. Vera denique palpitatio à flatu, vel humore dignoscitur.

Flatus. nam hæ vbi tantũ causæ extiterint, non autem facultas læsa sit, raritas motus in corde vehementis erit, nec per æqualia cor exagitabitur interualla. Is præterea motus in solo corde, & non in arteriis sentitur. Hæc igitur cuiuscunque palpitationis signa, earumq; causarum indicia sunto. At locus affectus, licet sit ipsum cor, quoniam tamen aliqua eius pars, magis aut minus deprauate mouetur aliquãdo in hoc palpitationis symptomate, idcirco sic inuestigabitur. Cum stans, aut supinus manens hoc sentit, cuspis ipsa iam palpitat, hoc autem contra naturam est, quoniã immobilis sit. Quod si stanti palpitat, supino non, cor loco mouetur & cuspis afficitur, sed non adeo. Si verò neutro modo sentit, sed cum super latus sinistrum decumbit, alæ solum vehementer mouentur, & supino hoc non adue-

aduenìet. Verum si se reuoluat, & manus sinistrum latus tangat, nec sentit, palpitat quidem cor, & loco mouetur; cum verò sentitur manu frequentia motus, non tamen decumbendo, leuissima est palpitatio, & cor immobile: in corde enim mobili quælibet palpitatio maior videtur. Aliæ vbi palpitent, humorem flatumve causam vt plurimum esse denunciant intra cordis cauitates. Quod si cor concutiatur, vt eius vertex siue cuspis pectoris regiones percutiat, causam in ipsis cordis ventriculis adesse significat, ac præsertim in sinistro sinu, nam is ad cordis vsq; verticem, cum dexter inferius prope basim terminetur, extenditur.

De signis causarum eius palpitationis, quæ secundum dorsum fit. CAP. II. CAP. II.

VEhemens, sensibilis, ac molesta pulsatio, aliquando in arteriis primo affectis percipitur, quam sæpe *Palpitationem* appellari diximus. Præstat verò maximæ arteriæ secundum dorsum, speciatim describere palpitationem, ac signa quibus illa dignoscatur, adscribere. Aretæus II. de signis & causis Acutorum cap. VIII. sic habet: *Quibusdam & arteria secundum dor-*

sum inflammatur, quod pulsatio in alteris præcordiis manifestat. Cutis sic affectorum squallida, rugosa, atque aspera est; sed in partibus prominentibus, atque osseis, digitorumque articulis, talis magis conspicitur; somni tumultuosi fiunt, aluus quibusdam nihil reddit, quibusdam exiguum, acre, biliosum; lotium acre, mordaxq; est. Mens vtique his constat, sed quadam segnitie torpet, & corpus tabe consumitur; tum quotquot hunc habitũ viderunt, eum Causin, id est, *ardoris speciem appellauerunt*. Sed & hęc palpitatio fit etiam ab inflammatione venæ cauæ, nam arteria de qua nunc egimus, quòd vena caua iuxta illam posita sit, venæ cauæ morborum particeps efficitur. Si ergo ob hanc suscitetur causam arteriæ palpitatio, hæc aderunt: Ignis acer mordaxque, in ambabus cauitatibus (pectus, inferioremque ventrem) inclusus accenditur, paucusque duntaxat foris apparet, vt tangenti flamma tenuis esse videatur; æger verò sese comburi existimat; pulsatus arteriarum exigui sunt, creberrimi, ac veluti oppressi, atque repulsi; frigus adest extremorum, sitis aspera, oris siccitas, facies decolor rubet, omne corpus subrubidum est, præcordia dura sunt atque reuulsa, dolor in dextra parte maior, & cum

eo pal-

eo palpitatio in longitudinem ad ilia vſ- Cap. III.
que perueniens. At ſi non inflammata ſit,
ſed ex viſceris alicuius calore acri & mor-
daci, eadem arteria incaleſcat, aut ſangui-
nis exuſti commercio inficiatur, ſanus
quidem, vt refert Ludouicus Mercatus
11. de morb. mulierum, ſuo modo laborãs
viuit, ſine communium actionum euidẽ-
ti noxa, indies tamen vel corpore vel mo-
ribus adeo mutatur, citra euidẽtem cau-
ſam, vt non minimam inferat ſibi, ſuis, ac
medicis admirationem, viſceribus diſtẽ-
peratis, ac perperam propria munia obe-
untibus, improſperamq; alimentorũ co-
ctionem molientibus. Quibus ſane mi-
rum non eſt, ſi corpus in dies præter æta-
tis rationem deterius ſe habeat, ac cor tri-
ſte, ac metuens aliquando exareſcat, exo-
ptetq; mori, & in alia deliramenta prorũ-
pat, aut anxietatem, & inquietudinẽ, vel
rerum omnium, ſine euidenti cauſa, tæ-
dium perpetiatur, citra membri alicuius
conſpicuum affectum, præterquam pul-
ſantis illius arteriæ.

De curandæ palpitationis indicationibus.

Cap. III.

Ab ipſa palpitatione, nulla deſumitur
indicatio; ſed à morbi aut ſympto-

matis causa, quæ proxime hoc accidens infert. A causis quæ morbum fouēt, præseruandi ratio elicitur. At morbus proxime hoc symptoma inducens est obstructio, vel adstrictio, aut intemperies. Obstructio, & adstrictio, vel ab humore fiūt, vel à flatu, vel à duro tuberculo, aut molli tumore. Si ab humore, is vel multus est, & ob id imminuendus; vel crassus, & attenuandus; aut viscidus, qui debet incîdi. Quod si præter hæc praue cor versus moueatur, eius motus reuulsione ac deriuatione auertendus, ac inhibendus. Flatus dissipandus est discutientibus. Si mollis tumor circa cordis regiones enascatur, curandus est, vt & reliquarum partiū tumores curantur. Ac si sit inflammatio, modo per occasionem liceat, quæ præceps est, valde repellentibus à principio succurrendum. Durum verò tuberculum, attenuante victus ratione discutiendum. Si sit intemperies, contrariis tollenda; manifesta quidem, manifestis; occulta verò qualitas, occultis. Vitale verò cordis robur, quoad fieri possit, seruandum. Seruabitur autem, si qui premunt morbi depellantur, & causæ omnes præter naturā amoueantur. Tum si quo pacto à naturali

sua

ſua conſtitutione receſſerit, eandẽ quàm Cap. III.
citiſſime procurando. Ne forte quis opinetur (quod tamen permulti ſunt arbitrati) aliud eſſe quod cordis robur augeat, præter ea quæ cordis naturalem conſtitutionem reſpiciunt præſidia. Quapropter *cordialia* nuncupata medicamina, aut nihil ſunt, aut eadem quoq; & *ocularia*, & *ſplenitica*, & *cephalica*, vel à quauis alia corporis parte ſumpta denominatione, poterunt appellari. Quod enim vbiq; calorem tuetur, quod vbique refrigerat, quod adſtringendi vim vbique habet, cur potius *cordiale* medicamentum, quàm *cephalicum* nuncupetur? Conſtat verò quod ſuapte natura frigidum eſt, partes omnes refrigerare, tum quod calidum eſt, excalefacere. Quod ſi quid eſt, quod vbi præ calore cordis virtus elangueſcat, refrigerare poſſit, nec tamen vltra quam par ſit id efficiat, illud quoque *cordiale* fuerit, atq; ſic medicamina omnia, quoniam diuerſis cordis affectibus conferre poſſunt, *cordialia* dicentur. Quancunque igitur noxam morboſæ tulerint conſtitutiones, cõgruis, id eſt contrariis expellere auxiliis tentandum eſt; ita enim quo minus cordis robur euaneſcat, prouiſum ſatis fuerit. Ab

ipſius tamen partis affectæ natura, quæ calorem non omnino ac vehemẽter depopulentur, niſi caliditas vrgeat inſignis, indicantur. Vſus præterea partis & actio, qua motu aſſiduo ceteris partibus calorẽ diſtribuit, indicant nunc quæ cordis quietem longiorem efficiant, nunc quæ breuiora quietis reddant interualla, vt ipſius cordis actio diutius perdurare poſſit. Quare & frigidis & calidis, pro vitii diſcrimine vtendum. Interim tamen ne valde ſpiritus diſſipentur, ac vires concidant, ob vſum, ſpirituum cuſtodia indicatur. Quod quidem fiet, ſi materies pro eorum generatione non deſit, aer ſcilicet ac ſanguis; ſed & aëris & ſanguinis qualitates, pro vnoquoq; cordis affectu accõmodatæ ſint oportet. Quare ſanguinis conſiſtentia ac temperies, tum quoq; aëris qualitas in primis conſiderãda. Cordis ſitus atq; connexio, remediorum apponendorum ſedem indicant, ſiquidem arteriis in quauis corporis parte exiſtentib. applicari debent corde affecto, tum verò maxime iuxta ſiniſtram pectoris regionem. Quæ item pulmones reſpiciunt, vt cordi ſint opportuna, attendendum. Senſum verò cordis hîc negligimus, nõ quòd illud,

illud, quoniam situm sit longe ab eo loco cui remedia admouentur, negligi debeat, vt Vido visum est, sed quoniam nullius aut obscurissimi sensus particeps est. Hæ sunt primæ ac præcipuę morborum, causarumque palpitationem efficientium indicationes, nec non ab ipsius cordis natura depromptæ. Proximæ autem in singulorum affectuum curatione dicentur inferius. Nunc enim an id quod habetur per has indicationes consequi possimus, ex huius symptomatis eiusq; causarum euentu perquirendum.

De signis prognosticis palpitationis.

Cap. IV.

Cap. IV.

QVanuis Plinio dictum sit, *Cor solum ex omnibus visceribus vitiis non macerari, nec supplicia vitæ trahere, læsumque mortem illico afferre*, docuit tamen experientia iis omnibus corripi cor affectibus, de quibus egimus abunde, ac signa quibus dignoscantur, adscripsimus. Nec tamen diutius in corde quiuis cōsistere potest affectus; sæpe namq; per membri opportunitatem ante mors rapit, quàm morbus pateat, vt II. problem scripsit Alexander. Sed antea Aristoteles III. de partib. animal. cap. IV.

Cor solum viscerum atque omnino partiũ corporis, nullum vitium patitur graue, idque recta ratione; cum enim principium corrumpitur, nihil est quod ceteris quæ inde pendeant, præbere auxilium possit. Sed cum non sit nunc opportunum, futuros ex omnibus cordis affectibus euentus perscrutari, eos tamen prosequemur, qui cordis palpitationem, eiusq; præcipuas causas insequuntur. Galenus v. de loc. aff. cap. 11. omnes quidem quicunque hoc laborauere symptomate, ante senectutem morte præuentos affirmat. Alii quidem per acutas febres, alii verò cum sani degerent, affatim syncopa intercepti, interierunt. Quanuis vnus vel duo citra syncopam, alia quadam mortis specie perierint. At verò sic affectorum magna pars ætatem agebat quinquaginta quidem annis inferiorem, sed quæ quadraginta annos excederet. Paulus idem repetit, eosq; qui citra syncopam interierunt, syderationis modo de repẽte vitam commutasse exponit. Palpitatio omnis quæ cum febri fit, & syncopa, lethalis est. Nonnunquam tamen febribus quibusdã per sudorem leuatis, vt refert Alexander 11. problem. periculosæ cordis affectiones sedari solent, materia enim vitiosa partim dif-

difflatur, partim resoluitur. Priuatim verò vnaquæq; palpitationis causa proprios habet euentus, qui tamen omnes, licet nõ eadem lethi via spectetur in omnibus, ad interitum ducunt. Mors igitur semper ad immodicas sequitur cordis intemperantias, simul enim cum ipso omnes vitiantur partes. At maiores per proprias quidẽ similarium partium intemperies, subitam mortem non inducunt; per eas verò quæ ad instrumentales partes pertinent, subito enecare possunt, sed præcedẽtibus prius signis quibusdam, quorum vnum ab Hippocrate dictum est: *Qui sæpe, & multum exoluuntur, absque manifesta causa, ii repente moriuntur.* Sic inflammationes & erysipelata, cardiaca syncopa sequitur, sed antequam eiusmodi affectus augeantur, animal corrumpitur. Inflammato enim manifestè corde gladiatores, haud aliter quàm qui cardiaca syncopa pereũt, obiisse narrat Galenus, qui sexto de vsu partium cap. XVII. ex cordis inflammatione semper homines celerrime interire scribit. Putredo quoq; si cor aggrediatur curationem nullam admittit. Quã enim excogites medicinam ad putredinẽ quæ cor occupauit? At nõ leuius imminet dis-

Cap. IV.

Intemperies cordis.

Inflammationes & erysipelata.

Putredo.

Humorum copia. crimen ab humorum copia. nam quandoq; contingit calorem ipſum extingui. Quemadmodum enim ignis offenditur, interim quidem congeſtis in eum cōfertim lignis, interim verò tametſi non multis, tamen admodum madentibus, nonnunquam autem omnino non impoſitis, aut valde exiguis: ſic qui in corde eſt calor, interdum ſe ipſo minor efficitur, aut propter ſanguinis copiam, aut propter ingentem inopiam, aut propter qualitatem frigidam. Nonnunquam priuſquam putreſcat ingens ſanguinis vis, in partē impetu decumbens, aut prorſus eam extinxit, vt actio interiret, aut certe non contemnendam noxam inflixit. Placet hic nonnulla Hippocratis adſcribere ex libro de rat. vict. acut. quæ humorum frigiditatem ex copia ortam, eiuſq; effectus egregie deſcribunt: *Cum dolores acceſſerint bilis atræ, & acrium fluxionum influxiones fiūt: internæ autem partes morſæ dolent: venæq; morſæ atq; valde arefactæ intenduntur, & inflammatæ alliciunt ad ſe ea, quæ affluunt. quamobrem corrupto ſanguine, cum ſpiritus in ipſo naturales meatus nequeant pertranſire, infrigidationes ob ſtationem eueniunt, itemque vertigines, vocis priuationes, capitis grauitates, conuulſiones,*

nes, idq; præcipue si iam vel ad cor, vel ad iecur, vel ad venas peruenerint. Hæc Hippocrates. Atqui cum particula quæ afficitur ab eiusmodi fluxib. repleta est, sanguis quidem ipse in primis corrumpitur, vasa verò opplentur, quæ res omnes spirituũ vias in eo cohibet. Cum autem sanguis constiterit, & in eo itidem spiritus, infrigidationes fiunt, ac ea quæ recenset Hippocrates: præsertim verò fiunt, cum fluxiones in locos, qui venas oppletas continẽt, inciderint. ii verò loci sunt, cor, iecur, & vena caua, quæ ea viscera coniungit. Merito igitur sanguis in huiusmodi locis propter venarum repletionem spiritum penetrare non sinit, sed velut in mortuo corpore concrescit. Hinc venarum interceptiones, quæ à plenitudine fiunt: nam cum venę supra modum fuerint oppletę, premi vires necesse est, ac natiuum calorem qui ob multitudinem quidpiam suffocationi simile patitur, periclitari ne extinguatur. Oriuntur enim epilepsiæ, apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ, quę quidem omnia, vno communi vocis priuationis symptomate complecti solet Hippocrates. Hinc ex Hippocrate primo prorrhet. textus ille, quem Galenus explicatione Cap. IV.

dignum minime censuit, explicari potest: *Palpitantes per totum num voce destituti moriuntur?* His enim venas intercipi verisimile est, ob frigidiorem tum solidarum partium, tum & humorum omnium cōstitutionem. Si igitur in ipsis arteriis repletio fiat, hæc solent consequi. Interceptis quidem quæ sunt in animali arteriis, hoc est, ita sanguine oppletis, vt nullus in ipsis vacuus relinquatur locus, in quem dum attolluntur aerem externum attrahere possint, tunc strangulatur atque extinguitur calor innatus, atque qui ita sunt affecti, subito sensum & motum totius corporis amittunt. Præterea quoque si obstructæ sint ac stipatæ, siue ob sanguinis copiam, siue earum ora obstructus aliquos patiantur, ita vt nullam habeant transpirandi viam, calorem extingui necesse est, quod vero ita affectum est, corpus emori. Alia interim ab his non longe difficilia pericula instant. Cum namque venæ, eam quæ est à plenitudine sarcinā humorum ferre non possunt amplius, eorum quæ in ipsis sunt, in vasa spiritus impetus fit, aut venæ tunicarum ruptio subsequitur. Sæpe etiam sine tali transfusione fit vt in ampla intestinorum, aut ven-

tris,

triſ,aut ſtomachi,aut oris,aut faucium,o- Cap. IV.
ſcula vaſorum aperiantur. Aretæus II.de ſignis & cauſis acutorum cap.VIII. *In hac itaque vena* (caua) *& cedmata oriuntur, quando ſanguis copioſus erumpens citiſſime vitam delet. Per ſuperiora quidem, per pulmonem & arteriam effluens, ſi in pectore fiat effractio: ſi iuxta principium; in imum ventrem deſcendens in inteſtinis continetur, atque adeo inteſtina replentur, cum prius quam deiectus ſanguis in conſpectum detur, homines intereant, & ventriculus ſanguine redūdat.* Hęc ille. Nec mirum, tantus eſt enim aliquando ſanguinis impetus, vt & maiores quoque capacitates effringantur, ſanguiſque irruens vitę domicilium deiiciat. Sic quidam, vt refert Andreas Laurentius IX. de Hiſtoria Anatomica, cum ſatis bene valeret, obambulans & familiariter colloquens; ſubito reſpiratione, pulſu, & vita priuatus cecidit. Diſſecto cadauere inuentum fuit cor, prodigii inſtar, in eā molem excreuiſſe, vt thoracem fere totū occuparet. Apertis autem ventriculis ſtatim erupit ingens ſanguinis copia, ad libras pene tres quatuorve, & cauæ quidem venæ oſtium diſruptum, omneſq; illę membranæ tricuſpides dilaceratæ. Arteriæ au-



tem magnæ os ita patens apparuit, vt brachii æquaret amplitudinem. Laxatis itaq; ostiolis omnibus velut habenis, tanta in vtrunq; sinum sanguinis effusio facta est, vt prohibita cordis distentione, contractioneq; subito extinctus fuerit. Est quãdoque cum in internis corporis partibus ob sanguinis impetum arteriæ in aneurisma dilatentur, quod ex pulsu vehementi atq; assiduo eius partis in qua fiet, dignoscetur. Fit præcipue in gutture, & infra guttur supra os pectoris, vt refert Dodonæus in obseruationum medicinaliũ exemplis, ac nos quoq; aliquando conspeximus. Quibusdam verò introrsum aneurismata erupere, quos deficientes ac morientes, sanguinem minxisse referunt. Ob eandem causam in sinistrã thoracis partem, sanguinem plurimum effusum de repente cuidam expiranti repertum; Alteri intra ventriculi tunicas copiosissimum, ob ruptum aneurisma, idem narrat Dodonæus. At humorum copia exterius arteriis quasi vinculum offusa, nonnunquã oneris instar grauans, ac spatia quibus distenduntur occupans, aut cum inflammatio, vel scirrhus, vel alius id genus tumor, cingentia arterias corpora tenet, earum.

rumq; distentiones arcet, maximũ mortis periculum minatur. Si verò ipsarum atteriarũ tunicis tale quid insederit, maius est discrimen. At verò si ipsius cordis corpus, hoc iam malum est extremum; etenim hi subito syncopa corripiuntur. Tuberculum ad leues pertinens arterias & ipsum quoq; mortem afferre repentinã Antipatri docet historia, quam hic afferre non fuerit superuacaneum. Is cum ob eiusmodi tuberculum multifariã in pulsu perciperet inæqualitatem, tàm systematicam quam vnius pulsus, absque spirandi difficultate: sex deinceps elapsis mensibus, leui quadam spirãdi difficultate correptus est, accedente simul cordis palpitatione, in primis quidem semel, deinde bis, atq; ter, ac sæpius quoque, aucta simul spirandi difficultate, ad quintum decimũ vsq; diem: post quem difficillima de repẽte oborta respiratione, resolutus statim obiit, aliorum quorundam exemplo, qui cordis affectibus laborant. vt ex Galeno IV. de loc. aff. sub finem. Sic vasa cordis obstructa, ac ipsa venalis arteria crassis viscidisq; succis oppleta, mortem repentinã tulerunt. At in ipso corde tuberculum enatum, quomodo mortem intulerit, Be-

Cap. IV.

Tubercula.

niuenius de abditis morborum causis, his refert: Mulier Clara nomine, & genere, cordis dolore interdum vexabatur, quē medici à malo ipsius cordis habitu fieri arbitrabantur. Sed cum pluribus iam annis connubio iuncta non conciperet, & sterilitatis causam quæreret, ac tollere conaretur multis præsidiis, ita demū dolor ille cordis increbrescere occœpit, vt perpetuus fieret. Ex quo sæpius etiā mulier ipsa deficiens, recreari vix poterat; donec eo iam magis magisq; inualescente, è medio sublata est. Ceterum mortuæ corpore inciso, & frustulū nigrioris carnis in sinistro cordis ventriculo supra arteriam, quod mespili formam haberet, & vulua à medio infra, versus imā eius partem obcalluisse reperta est. Quare vt tuberculum illud mortis, ita hoc sterilitatis causam fuisse cognouimus. Callum in sinistro cordis ventriculo obduratum, qui nucis magnitudinem æquaret, alteri repertum esse idē Beniuenius scribit. Quæ verò ex aqua in pericardio contenta desumuntur prognostica, similem difficultatem habent cum hectica; nam non dignoscitur affectus vt plurimum, nisi ex illis signis tabis, quæ cum euenere, non est

Pericardii aqua.

spes

ſpes ſalutis. Eandem emaciationem in ipſo orta tubercula ferunt. ſiquidem morbi omnes inſtrumentales, qui huius ſymptomatis cauſa exiſtunt, cum haud ſinant tantum aëris trahi, quantum trahi neceſſe eſt, atq; ob id cor ſatis refrigerari non poſſit, oportet totius corporis, ob auctum cordis calorem, ſubſequi emaciationem.

CAP. IV. *Pericardii reliquæ affectiones.*

At ſi qua in ipſo oriatur affectio, quæ cordi non communicetur, tunc non magnū affert periculum, vt Galeno viſum eſt v. de loc. aff. Etenim quomodocunq; affectus ſit, inter ignobiles partes reputatur, niſi quando ipſo inflammatione infeſtato, diſpoſitio per conſenſum ad cor tranſcurrat. Cum enim ipſe ſolus afficitur, exemplo reliquarum omnium partiū, quæ ad cuſtodiam & tegumentum ceterarum nobiliorum factæ ſunt, nullum affert periculum. Imo Galenus ipſe v11. de Anatom. admin. cap. XIII. Marylli puerū, cui cordis ipſius inuolucrum computruerat, ſanatum à ſe teſtatur. Sed hāc Galeni ſententiam ſuſpectam ſemper habuimus; niſi forte in comparatione ad ceteras cordis partes hoc dictum ſit. Etenim & in ipſa pleura inflammationes, lethales plurimū ſunt; cerebrique membranæ, etiam non

grauioribus tentatæ vitiis, mortem indubie tulerunt. Quapropter nullum ex affecto pericardio discrimen subesse, ex repentinis forte verum fuerit: sed temporanea, & quæ tandem absumant subsequi, verissimum. Reliquum nunc est vt de animi motibus nonnulla dicamus. Mori contingit nonnullos in syncopa stomachi vitio eueniente, & vehementi dolore, & timore graui, & voluptate maxima. Quibus namq; vitale robur infirmum est, animi verò affectiones ob imperitiã fortes, iis animæ essentia facile dissolui potest. Atq; aliqui ob mæstitiam interierũt, sed non illico, vt de superiorib. diximus. At vir magnanimus neq; ob mæstitiam, neq; ob aliam aliquam animi ægritudinẽ mæstitia fortiorem, vnquam succumbit, vtpote cuius animæ robur validum est, affectus verò non adeo vehementes. Itaque ex subito timore nonnulli interierũt, cum scilicet animulus eorum naturaliter imbecillus, vehementi passione deteẽtus, semel & confertim extinctus est, & suffocatus. Quippe extingui eum accidit propter affectus ipsius naturam, vt cuius generatio in refrigerando consistat: suffocari autem, eo quod totus sanguis vnà cõmeet,

Animi motus.

meet, atq; ad principium deferatur. Non Cap. IV.
ineptè igitur Hostilius, Pauorem, deterrimum hominum affectum, Deum dicauit, quem ne læderet deprecarentur. At ab ita nemo interiit, vtpote nec calore perfrigerato, nec eius robore soluto. Ex gaudio tamen ingenti nonnulli pusillanimes perierunt æquè atq; ex timore. Gaudii namque excessum (περιχαρίαν vocant) quemadmodum & summum, vehementemq; timorem, quem ἔκπληξιν appellant, mortem intulisse, non raro contigisse animaduersum est. Reliqui quoq; magni timores omnes, & cum his maximæ voluptates, etsi non iugulant, at certe facile resolubilem, infirmumque spiritum reddunt. at verò sæpe iugulant, vt dictum est. Etenim timentes, vt inquit Arist. lib. de Respir. infrigidantur secundum superiora. Calidum autem fugiens, & contractũ, facit motum in paruum constrictum, ita vt aliquãdo extinguãtur animalia, & moriantur propter timorem, & propter passionem morbosam. Cum igitur animi robur fuerit inualidum, ex multiplici lædũtur occasione, multisq; modis intereunt. Gaudio quidem, apud Plinium libro VII. Chilo, Sophocles, & Dionysius Siciliæ

tyrannus. Pudore Diodorus. Cornelius Gallus prætorius, & Quintus Heterius in Venere; multiq; alii & à balneo, & à cena, absq; manifesta causa, vt ibidem dictũ est. Obiter sane adnotandum, repentini interitus in corde sæpius, quàm in cerebro, causam latere. At vapor melancholicus ipsaq; atræ bilis exustæ fuligo, apud Fernelium, in corde coacta, repentinam tulit mortem. Nos à melancholico vapore cũctis differentiis leuiorem fieri palpitationem arbitramur, & hac tantum specie eos laborasse, qui quinquagesimum ætatis annum superarunt. Inter quos Cardanus, qui ab adolescentia hoc laborãs symptomate ad extremam tamen senectutẽ peruenit. Omnes igitur quibus vitale robur infirmũ est, huic vitio obnoxii sunt. Melancholici, præsertim à quadragesimo ad quinquagesimum ætatis annum. Item & plurimo sanguine abundantes; iis enim si qua supprimatur euacuatio, facile ob sanguinis copiam cor ipsum afficitur hoc accidente. Ii quoq; qui frigidioribus succis abundant; hos enim si à calore eliquari cõtingat, vt in flatum abeant, necesse est. Eos item qui maximam cordis molẽ habent, quòd cauitates illius plus recipere

Vapor melancholicus.

mate-

materiæ morbificæ possint, magis hoc malo tentari verisimile est. Paruo namq; existente corde, vim vitalem minus ab humoribus in eius ventriculis existentibus grauari consentaneum est, & proinde robore vitalium actionum qui paruũ cor habent, præcipue pollent. His similia Aristoteles III. de partib. animal. *Affectus qui accidit ex metu, iam in iis præest, quibus cor grandius, quoniam calorem pro portione cordis non habeant, sed parum caloris in magno receptaculo exolescat, itaq; sanguis frigidior sit, oportet.* Cordis verò prodigiosam illam quantitatem, qua dixerunt, & Dioscorides Astrologus, & Varro, cor ad quinquagesimum annum duarum drachmarum pondere excrescere, post ad centesimum vsq; totidem rursus imminui, vnde deficiente corde interirent, fabulosam esse, pluribus demonstrandum non est.

Cap. V.

De præsidiis quibus vnaquæq; cordis palpitationis causa tollatur. CAP. V.

Humorum abundãtia.

PLenitudo siue ea sit ad vires, siue κτ̀ τὸ ἔγχυμα, non aliis citius ac tutius præsidiis tollitur quàm venæ sectione. quemadmodum nihil est quod æque in discrimen adducat quàm in hisce affectib. venę

ſectionem omittere. Si igitur cordis palpitatio ex plenitudine ſit orta, vacuationis initium eſto ſanguinis miſſio. Omnes enim quibus ſubito ſine alio manifeſto accidente cordis palpitatio euenire viſa eſt, ſanis alioquin ac integra valetudine degentibus, ſanguinis detractio iuuit, vt Galenus v. de loc. aff. cap. 11. teſtatur. Hos verò quod vere corriperentur hoc affectu, ac quod ſanguinis miſſione adiuuarētur, ob ſanguinis copiam id paſſos fuiſſe clarum eſt. Quin apertius idem Galenus 11. de cauſis pulſuum cap. 11. *Accidit etiam pulſuum inæqualitas interim ex ſanguinis copia qui aut in venas, aut arterias ipſas ſit infuſus, atq; hæc quidem ſanguinis miſſione ſedatur facillime.* Etenim copia illa in venis, arterias non ſecus ac tumor prętet naturam vtpote iis vicinas, premit, & coarctat: vacuata per ſanguinis miſſionem, illico venarum tumorem contrahit, ſtatimq; etiam locū arteriis amplum ad motum dat. Quæcunque igitur cordis palpitatio ab humorum copia exorietur, ſanguinis miſſione ſedabitur. Non omnis ergo cordis palpitatio, ſed omnis quæ ex humorum fit redundātia, tali indiget auxilio. Non tamē deſunt circa hanc rem difficultates. Ac primum

ſi virium robur inter mittendi ſanguinis CAP. V.
ſcopos enumerandum eſt, cum in omnibus cordis affectibus illud reperiri non poſſit, à venę ſectione abſtinendum videtur. Deinde ſi calidiores aut frigidiores intra venas plenitudinem efficiāt humores, vt vel plurimum flauæ aut atræ bilis, aut crudioris viſcidioriſve ſucci abundet, cum ab iis purgatio indicetur, non verò ſanguinis miſſio, à venæ ſectione cauendum erit. Præterea in iis circa cor venarum arteriarũq; repletionibus, quæ ex animi motibus contingunt, cum non adſit niſi per accidens plenitudo, ea verò ſit in aliqua tantum corporis parte, aliis potius auxiliis videtur occurrendum quàm ſanguinis miſſione. Cum tamen plenitudo fuerit palpitationis cauſa, ſemper ſanguinis miſſione eam eſſe tollendam arbitramur. Nam cum virium imbecillitas ex humorum abundantia proficiſcēs, quòd graui onere preſſa langueſcat vitalis facultas, ſyncopæ diſcrimen paulo poſt allatura videtur, tuto ſanguinis miſſione præcauebitur omne periculum. Sic nonnullos ab ingenti periculo vena ſecta liberauimus, à quibus non ipſa tantum palpitatio ſed caloris extinctio non longe eſ-

ſe ob ſuffocationem videbatur. Id præſtantes in arte viros ſumma cum laude feciſſe ſcriptum inuenimus. Vnus de abditis morborum cauſis Beniuenius ſufficiat, cuius hæc: Nos Philippum quendam vidimus, hominem ſanè ebrioſum & corpulentum, cuius pulſus dum languens in lecto iaceret, ita paruus & exilis erat, vt cũ à medico percipi vix poſſet, facile crederes mortem inſtare, ni facies rubicũdior, oculi, dentes, & venæ pleniores, iudicio prudentis medici obſtitiſſent. Quare tanti mali cauſam diligentius perquirens, iudico ob id nimiam ſaturitatem ſanguiniſque abundantiam fieri, nullumq; opportunius adhiberi poſſe auxiliũ, quàm ſanguinis ipſius celerrimam miſſionem. Sed obſtabant cognati atq; amici, verentes ne huiuſmodi præſidium, hominem celerius occideret. Inſtanti tamen mihi, ac certam ſi id fieri permitterent, ſalutem pollicenti, tandem acquieuerunt. Quare accerſito ſtatim miniſtro ſanguis mittitur. Nec mora, pulſus ſimul & vires tam celeriter redeunt, vt feſtinantior affuerit ipſa ſanitas, quàm mors quæ pro foribus excubare viſa eſt, affutura crederetur. Hæc Beniuenius, ex quibus licet inſignis viriũ imbecil-

becillitas ex pulsu significaretur, nisi tamen prompte vena esset incisa, extremã illi eam diem futurã cuiuis patere potest: quemadmodum permultis contigit, atq; illi præsertim de quo Galenus aduersus Erasistratæos cap.1. *Fuit & alter quispiã qui veris tempore cum per totam hyemem magnopere repletus sine exercitiis degeret, ac totam faciem vna cum ipsis oculis adeo rubicundam haberet, quemadmodum si quis pronus capite in terram defixo, cruribusq; in altum protensis, sub huiusmodi figura perseueret, quinto tandem die præ anhelitus difficultate suffocatus est. Ob id scilicet, quod præclarissimi illi ab Erasistrato medici, venæ sectionem admittere nunquam voluerint.* Sed ne longius ab instituto recedere videamur, ac velle docere quî tandẽ plenitudo tollatur, quod quidem multos exacte ante nos fecisse nouimus; tã si palpitatio cordis ob hanc rationẽ fiat, quàm si suspiceris affuturam, sanguinis missionẽ in primis conferre, nunc est animus ostẽdere. Ac præcaueri antequam fiat palpitationem sanguinis missione Galenus v. de loc. aff. in hunc modum testatur: *Ceterum noui quendam quotannis verno tempore huiusmodi palpitationis accidente vexatũ, qui cum per tres annos à sanguinis missione se adiu-*

Cap. V.

tum intelligeret, anno quarto antequã accidens ipſum inuaderet, ſanguinem miſit, idq; pluribus annis faciendo, idonea etiam poſt ſanguinis detractionem medicamenta adhibẽs. Nec eſt vt quis ad virium imbecillitatem iterũ confugiat; hanc enim miſſo ſanguine auferri, vireſq; ac pulſus redire, ſuperiores declarauerunt obſeruationes, tum ipſa maxime ratio perſuadet. Copia enim ſtatim tollenda, humoreſq; imminuendi. Quod ſi faciendum eſt ſano adhuc exiſtente animali, vt de habitu Athletarum ſtatuit Hippocrates; multo magis ſi dum pręſente eadem humorum abundantia, morbus aliquis, aut vehementiora quædam ſymptomata corripiant, id aggredi opportunum erit. Sed fortaſſe illud paucis dubiũ videbitur, an antequam fiat palpitatio ob humorum copiam, ad ſanguinis miſſionẽ cõfugiendum ſit: hoc forte magis ac pluribus, an dum ipſa cordis vrget palpitatio, idem ſit amplectendum auxilium. Sed cũ ſymptomati nulla debeãtur remedia, verum eius cauſis, præcipue proximis, quæ ſymptoma fouent quodammodo ac protrahunt; idcirco niſi ſanguinis copia auferatur, aut non deſinere palpitationem, aut in alium longe difficiliorem affectum, ſiue ve-

ue venarum arteriarumve ruptionē, vel Cap. V.
inflammationem, etiam ipſius cordis, vel
ſyncopam degenerare neceſſarium erit.
Præterea cum quodcunq; diſcrimen immineat, non longe abſit, ita vt immorari non niſi maximo ægri eiuſq; ſalutis diſpēdio liceat, nullumq; tam præſens reperiatur auxilium quod euacuet ſanguinis copiam, quàm ſanguinis miſſio (quid enim tunc frictiones, exercitia, inedia, conferre poterunt, quæ parum vel multo tempore euacuant?) ſtatim & audacter ad venæ ſectionem accedendum erit. Iam verò nec ob ſolam humorum copiam, ſed & ob ſanguinis quoq; impetum cordis palpitatio fit, qui quidem ſanguinis motus omnino inhibendus eſt. At ſanguinis miſſio præterquam quod euacuat, & ob deriuationem, & ob reuulſionem quoq; adminiſtratur. Quod ſi quis Eraſiſtrati eiuſque ſectatorum more, plenitudinem omiſſa venæ ſectione tollere ſtudeat, quanquam id reprehenſione dignum viſum fuit; non tamen effugere poterit, quin ad cohibendum ſanguinis motū, qui cor verſus obrepit, ad reuulſionem ac deriuationē, ſanguinis miſſione vtatur. Ac quanuis pręter hanc vnam deriuandi ac reuellendi rati-

onem, permulta reperiantur auxilia, quæ deriuare ac reuellere sunt accommodata; vbi tamen insignis repletio fuerit, hæc vna tuta est & sufficiens. Plenitudine enim valida existente, ad quas venas, cum omnes oppletæ sint, deriuabitur humorũ abundantia? aut quo reuelletur? Imo si nõ secta vena, frictionibus aut cucurbitulis vel quoquo modo dolorem excitantibus vtaris, nonne in iis quibus hæc applicãtur partibus inflammationem excitabis necessario? Ita enim nos docuit ipsius inflãmationis origo. Atq; hæc quidẽ satis confirmata videntur. Si verò qui intra venas detinentur humores frigidi sint, qui tamẽ ob copiam tales efficiantur, ac palpitationem cordis afferant, quænam erit curandi ratio? Nõ alia à principio quàm per venæ sectionem. ac præsertim si ii ob aliquã suppressam euacuationem coaceruati fuerint. Sæpe enim vel menstruis, aut hæmorrhoidibus retẽtis, vel sanguinis è naribus fluxu periodico, quemadmodum nonnullis euenisse nouimus, cessante, humores & frigidiores facti sunt, atq; hæc ipsa tulere symptomata. Nec tamen temerarius fuerit aut noster hic ausus. Galenus aduersus Erasistratum cap. v. spasmũ hydro-

dropemq; ſanguinis miſſione medicatus Cap. V.
eſt, ac frigidum vnumquenq; affectũ, ob ſuppreſſas ſanguinis euacuationes. Quod & Hippocrates fecit. Is enim de rat. vict. acut. Venarum interceptiones ob humores per copiam frigidiores factos, atq; ob motus priuationem concretos, ſanguinis miſſione curare aggreditur. Cardiacas itẽ ſyncopas eodem penitus modo ſecta interna dextri brachii vena. Sed cum nunc ſit nobis ſermo de venę ſectione, præſtiterit eas omnes cauſas in medium afferre, quæ palpitationem excitantes, ſanguinis miſſionem expoſtulant. Cordis, venarũ, arteriarumq;, ac pericardii inflammationes & eryſipelata, venæ ſectionem requirunt. Id ex affectus natura deſumitur. Omnes præterea inflammationes à principio hoc auxilio detumeſcere conſueuerunt. Id Galenus præcipit XIII. method. cap. XI. *Vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor phlegmone afficiuntur, interna cubiti vena ſecanda.* Venas verò & arterias inflãmatas aduerſus Eraſiſtratum cap. VIII. ſanguinis miſſione curari ſcribit. Id quoq; faciendum vbi inæqualis calor, cordis corpus occupauit, aut in ipſo corde fomes febris aut putredo fuerint. Quomodo autem venæ ſe-

ctio facienda ſit, ac vnde ſanguinis miſſio fieri debeat, iam tempeſtiuum eſt determinare. Ac primum maximam humorũ abundantiam ſtatuamus eſſe, quæ nõ tantum vires premat, ſed & ipſa quoque vaſa diſtendat. Initium curandæ palpitationis ab iſta cauſa erit certe venę ſectio, ſi quod aliud auxiliũ. At verò ſi vena ſecetur, nonne ſanguinis impetum verſus pertuſam partem ferri neceſſarium erit? Si igitur interna cubiti ſecetur vena, cum hæc ab axillari, axillaris verò non longe ab aſcendentis venæ cauæ ramo proficiſcatur, vnde in cor ramus inſignis coronarius diuaricatur, abundantiorem ſanguinis copiam ex vena caua hauriri cõtinget. ex qua quidẽ re, quin ſanguis plurimus cor verſus quoq; arripiat iter fieri non poteſt. Nõ ergo ad ſanguinis miſſionem tuto confugere licebit, niſi ſanguinis motũ cor verſus aliunde proficiſcentis compeſcamus, & eodem quoque tempore ab ipſo corde reuellamus. Quapropter eo ipſo tempore quo in brachio vena tunditur, vtriſque hypochõdriis cucurbitulas affigi opportunum exiſtimamus. Dextro quidẽ, quod inde vena caua exoriatur; ſiniſtro autem, quòd illic plurimæ terminentur arteriæ,

quæ

quæ ſpirituoſum à corde ſanguinem re- uellere poterunt. Ita demum fiet, vt quæ iam cor inuaſura erat ſanguinis copia, cucurbitulis admotis reuellatur, quæ verò influxit, vena ſecta exhauriatur. Si verò non ingens adfuerit humorum copia, aut ſola venæ ſectio ſufficiet, vel longe poſt applicari poterunt cucurbitulæ. Vbi tamē inſignis extiterit plenitudo, in vtriuſque brachii cubito venam aperire vtiliſſimū ducimus, ac neceſſarium: ſi non adeo magna, ſiniſtri tantum ſuffecerit. Quod ſi qui cor impetit, intra arterias, non intra venas contineatur ſanguis, nec aperta vena ac pluries tuſa motus cordis hic præter naturam deſiſtat, cogitandum erit an arteriam ſecare conueniat. Vt enim habet Galenus de curādi rat. per ſang. miſſ. cap. XXII. *Vbi calidus ſpirituoſusq; infeſtus eſt ſanguis in arteriis aceruatus, illic communibus parti affectæ ſectis arteriis eſt opus.* Has verò non magnas, ſed exiles, ac in ſummis artubus ſitas diſſecandas proponimus, quales vtique ſunt eæ quę per digitos excurrunt. licet enim hæ paruæ ſint, maximum tamē iuuamentum afferunt, atq; inducta cicatrice citra aneuriſma coaleſcunt. In omni igitur dolore pulſatili, qui ſubito fit & à

Cap. V.

principio, vt & in ipsa cordis palpitatione a tenui & arterioso sanguine profecta, cōmodissimum erit eo modo quo dictū est, arterias secare. Sciendum tamen est, ingentem quoq; spirituū copiam larga sanguinis per venæ sectionem missione euacuari. Sinistro hypochondrio affixa cucurbitula, dum oppletæ sint arteriæ, valde vt experimento cognouimus prodest. Sunt qui in omni cordis palpitatione, cucurbitulæ applicationem dorso è regione cordis laudibus extollunt. Sed si ex humoribus palpitatio fiat, id in ægri perniciem fit. augetur enim circa cor sanguinis copia ob calorem, & dolorē. nam si abundantia succorum, vt ex Galeno xi. meth. cap. xvii. quam vocāt *plethoram*, in his sit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excrementi transferet, quàm ex toto corpore attrahet in vtrunq;. Hæc tamen vbi flatus sit palpitationis causa, rite applicata plurimum conducet, vt inferius dicetur. Nunc enim quæ reliqua sunt circa venæ sectionem obseruanda, adiiciemus. Ac illud præsertim, vbi non ingens plenitudo sit, sanguinem ad reuulsionem mitti magis, quàm ad euacuationem; & proinde melius esse sanguinem per vices mittere,

tere, quàm confertim euacuare. Semel Cap. V.
quoq; ac bis in cubito secta vena, vt ad lõginquiora reuulsio fiat, etiam in manu potest incidi. His peractis si adhuc perduret palpitatio, periculũ in primis prænunciare adstantibus oportet; aut enim obortam esse cordis inflammationem id est indicium, quæ tamen prænarratis paulo ante signis præcipue febri ac syncopa dignoscetur; aut cum ingenti humorum abundantia, rebellem quoq; adesse ex cõtumaci aliquo succo obstructionem. Sed obstructionis curandæ ratio ex crassis viscidisq; succis, aliàs describetur. Quæ igitur ob copiam, cum non aliud requirat nisi euacuationẽ, ac sanguinis missio non extirpauerit affectum, aliis quoq; præter venæ sectionem remediis indiget. Quorum quidem, si sit opus, reuellant aliqua à corde influentem sanguinem; alia verò sensim euacuent. Reuellunt autem maxime præter enumerata præsidia, frictiones & vincula, tum quòd calorem, tum quoniam & dolorem excitant. Hæc verò circa inferiores corporis partes peragenda sunt. Euacuabit verò paulatim totius victus ratio attenuans. Aer primò tam in hac quàm in ceteris cordis palpitationib.

ſubtilis eligatur; ſiquidem valde refert ad ſpirituum generationem quem quiſque inſpiret aerem, tum ad ſanguinis in corde refrigerationem. Qui verò ori proximus ſit ac faucibus, roſacea aut myrtillorum aqua, aut ea etiã in qua ſantali ſcobs præmacerata fuerit, præparetur. Inedia imperanda, ac tenui poſthæc victu alendi, quicunque plenitudine laborant. Carne interdicendi, ac ſi calidiores fuerint humores, vino quoq; abſtineant, vel tenuẽ tantum admittant. Si verò febris adiuncta ſit, omnino caueant. Malorum punicorum ſuccus ex acidis pręſertim, vini vices percommode geſſerit, acidorũ quoq; ceraſorum, ſtillatitiis aquis hepaticæ, endiuiæ, oxalidis, ac ſimilibus ambo permiſti. Aqua item in qua hordei modicum ſit excoctum. ſed quæ ex citrino ſeu pallido ſantalo decocto conficitur, ea mirifice confert, parum ſiccat, ſanguinemq; modice perfrigerat, & cordi robur affert. Cibus ſit hordei cremor, aut diluta ex multa aqua ptiſana, cui quidem peponum, cucurbitæ, citrulli, lactucæ, papaueriſq; ſemina admiſceri poſſunt, quorum quædã refrigerandi, nonnulla extenuãdi vi prædita ſunt, ac vrinã cient; vrinæ enim meatus,

tus, vena caua ac magna arteria expurga- Cap. V.
tione indigentibus, præparãdi sunt ac fluxiles reddendi. Pisces saxatiles (ii sunt nõ qui in leuibus, aut arenosis, aut terreis littoribus, sed in petrosis promontoriis & vbi saxa sunt, delitescunt ac pariunt) quòd modicum nutriant, alimentumque inde profectum non crassum, nec omnino aquosum sit, in vsum veniunt. Proximi his sunt fluuiatiles, inter saxa defæcatamque degentes aquam. A somno abstineãt donec sanguinis impetus auertatur à corde; quies tamen præcipienda. Corpus vniuersum excrementis careat, ac si quotidie nõ expurgetur aluus, leui iniectione proritetur. Ac sanguinis redundãtia hoc pacto aufertur, sanguinisq; cohibetur impetus. Qui tamen & purgantia pharmaca, & refrigerantia præscribunt, ii præter hæc sanguinis quoq; qualitates respexere. Verum si sanguis exuratur, vt in atram degeneret bilem, aut ob innati caloris resolutionem frigidior fiat, his curabitur remediis, quibus palpitatio à melancholico vapore, nec non exusta sanguinis fuligine, & à frigido spiritu orta depellitur. Reliqua sunt ab his quæ aliis iam peractis, ac victu extenuante prægresso non

debent omitti, ſudoris ac vrinæ prouocatio, tum multa ac mollis frictio. Ac ſudor quidem adapertis venarũ extremis prolicitur, nec non rarefactis meatibus, extenuatiſq; humoribus. Veſicis vtriculiſque calente aqua refertis, ſub axillis applicatis, vtendum: ita enim minus humores caleſcent, aut exagitabuntur. ac niſi ſufficiat propoſita eliciendi ſudoris ratio, in hunc modum prouocetur, inunctione facta ex nitri partibus duabus, olei camemælini partibus ſexdecim, & aquę camemæli partibus duobus ac triginta. Quàm verò ſudoris prouocatio conferat, Alex. II. problematum explicat. Quod enim materia vitioſa, partim difflctur, partim reſoluatur, inde fit, vt ille inquit, vt febribus quibuſdam per ſudorem leuatis, cordis periculoſæ affectiones ſedari ſoleant. Sed & Galenus de præſag. ex pulſ. II. cap. IV. Eam quæ per halitum fit vacuationẽ, plurimum conducere affirmat. Pueros enim minus ex intermittente pulſu periclitari ſcribit, quoniam in his humorum copia facilius per halitum digeratur. At quæ ob calidos affectus cordi aduenientes palpitatio exoritur, ſiue corde ipſo per ſe affecto, ſiue ex conſenſu, vena primum

secta, vt dictũ est, deinde refrigeratis humoribus, tum ea parte quæ vel caloris est causa, aut in qua caloris adseruatur fomes, curabitur. Neq; opus est vt huc adferamus earum quæ in thorace, aut in ipso ventre inferiori fiunt, ex quibus cor in morbi consensum trahitur, inflammationum curationem. Aliunde enim peti potest. Eius verò quæ cor occupauit, nullam vt plurimum esse, haud sumus nescii. Si qua tamen esse potest, & ipsa, vt dictũ est, à sanguinis missione ducet initium. Non tamen ea sanguinis copia auferenda, quæ plenitudine postulante mitti solet. In hac enim quòd frequentius eueniant syncopæ, quæ mirum in modum vires verè deiiciunt, semel aut iterum misisse, ac parũ sufficiet. Aliis tamen prius enumeratis præsidiis, ad reuulsionem vtendum erit. Ceterum quoniam nisi à principio detumescat pars inflammata, de ægri salute desperandum est; idcirco statim à sanguine misso, vel dum mittitur, circa cordis regionem repellentia adhibere conuenit. Quæ quanuis in morbis pectoris non tantum non prodesse, quin obesse plurimum soleant, in hac tamen affectione, cũ ad quancunq; partem materia fluens re-

CAP. V.

Cordis inflammatio.

pellatur, ea ſit longe ignobilior corde, ac non ita ſubito iugulet, nulla interpoſita mora applicari debent. Quod enim ex eo quod in laborante membro continetur quidpiam in proximas partes repellit, hoc phlegmones iam genitæ medela eſt. Sonchus impoſitus laudatur à Dioſcoride primo εὐπορίςων. Sed ea potius eligenda, quæ vna cum frigiditate, adſtringendi vi polleant. hæc enim citius ac validius repellunt. Quare quæ ex ſemperuiui, aut portulacæ, vel plantaginis ſucco, roſaceo admiſto conficiuntur, è re magis eſſe arbitramur. tum vitium ἕλικες & folia. cupreſſi item, ac viridium cicerum. Perfundi quoque cordis regiones, aqua roſacea, myrtillorum, nympheæ, phyllitidis, portulacæ, plantaginis poterunt; in quibus, & ſantali rubei fragmina, tum roſarũ flores, ac cytini maduerint. Corallia ſimiliter & vniones ex oleis nenupharino, papaueris, ac roſaceo, vel myrtino excepta, ac ceræ albę momento ſuperdari. Oleum è coralliis illitũ id quoq; pręſtat. Caphura egregium erit medicamen ex his admiſta, cordiq; applicita. in quem quidem vſum paſtilli è ſpodio, ſantalis, terra ſigillata, è charabe, & caphura admitti, non abſ-

que

que iuuaminis ſpe poterunt. Quin per os assumpta, ſanguinis impetum coërcere valent. Victus ratio refrigerans præſcribatur. Quod verò hæc tam ſi corpus cordis Eryſipelas, quàm vbi id genus tumor pericardium vicinaſq; arterias aut venas inuaſerit, ſint obſeruanda, longiori non eget demonſtratione. præterquam quod in his, vt ita dicam, ſanguinis ποταμοῖς ſemper eryſipelata ex plurimo ſanguine permiſto exoriuntur. Virium hic atque elabentium ſpirituum habenda ratio. Cum verò non liceat cibo ſtatim reficere, ſuaui redolentium halitu reparandi; iis prope admotis quæ gratum exhalant, ac modeſte refrigerant. Aceto roſis præmaceratis, quod & perfuſionibus circa cor vtiliter admiſcetur, vtendum. Quod ſi nec repellentia ſanitati reſtituant, ſed ad incremẽtum properet inflammatio, ab ægro tunc recedẽdum. Eos enim qui ſic affecti ſunt non Podalirius, aut Machaon, aut ipſe medicauerit Æſculapius; ac multo minus, vt arbitror, blaterones quidam ac linguaces naturæ promotores. Inæqualis cordis intemperies non vno eodemque modo curatur. Fit enim interdum vt plures ſint eæ partes in corde quæ calorẽ ad-

Cap. V.

Eryſipelas.

Cordis intemperies.

miſerunt, interim verò plures quę frigeãt. Ac ſi calidæ cum plures fuerint augeantur, extremum in corde calorem oriri, omni iam ſuperata frigiditate oportet. ſi frigidæ calorem ab aliis depellant; motus abolitionem, ac interitum ſubſequi. Quare pulſum in primis contemplari diligenter, ac obſeruare conuenit, ac omnes non ignauiter caloris frigiditatiſq; differentias perpendere. Si enim exuperauerit caliditas, frigefacientibus opus eſt; ſi frigiditas, excalefacientibus. Verum nec omnino calida in hoc affectu ad cordis frigiditatem depellendam, nec prorſus frigida ad amouendam caliditatem, vſurpanda. quantumuis enim aliquæ incalęſcãt partes, nonnullæ tamen frigidæ reperiuntur: ac licet permultæ frigidiores factæ fuerint, aliquæ tamen adhuc calorem retinent. Quare ex his, ſi maxime caliditas ęxuperare videatur, quæ ad propulſandas cordis inflammationes recenſuimus accipienda; croci parum aut cinamomi admiſto. ſi frigiditas; ex iis, quæ ex flatu genitam palpitationem auferunt, de quibus iamiam pertractabimus. Venæ ſectio à principio confert, ac præſertim ſi calidior extiterit pro maiori parte intemperies: ita

enim tutius futura præcauebitur inflammatio. Dura tubercula in quacunq; parte fiant ob quā cordis motus impediri possit, ac deprauari, attenuante victus ratione curantur, si curationem admittāt. Victus enim ratio attenuans diuturnis morbis adeo conferre visa est, vt sola ea sine alio medicamento sublati sæpe fuerint. at dura isthæc tubercula eius naturę sunt, vt nō alia penitus ratione debellari possint. Vbi enim circa cor aut pulmones enata fuerint, ob situs rationem etiam difficilis efficitur curatio: quoniam quę sedem affectam contingant medicamina, admoueri nequeunt. Quę verò extrinsecus adhibentur, vel minus quàm oporteat digerere, aut si id maxime præstare possunt, id vix citra insignem ceterarum partiū noxam experiri licet. Vnius auxilii meminisse præter rem minime fuerit. Picatio est. si quid enim in hoc affectu conuenit, ea est. nam præterquam quod emollit ac digerit, atq; ob id hisce tuberculis in primis confert; thoracis quoq; emaciationi, quæ ad has affectiones cōsequi solet, mirum in modum prodesse consueuit. Pix eligatur humidior, eaq; totum pectus ac dorsum illiniatur. Id verò ternis aut quaternis

CAP. V.
Tubercula.

ternis

ternis diebus. Hoc nempe auxilii genere id tandem aſſequemur, vt duris iam exiſtentibus tuberculis, ſpes adhuc aliqua omnino emolliendi, ac digerendi ſuperſit: ac quoniam thoracem vniuerſum ab infarctu craſſorum ac viſcidorũ excrementorum percommode liberat, ne augeatur affectio, aut eius generis noua exoriatur, præſtare poteſt. Quod ſi tuberculum ad pulmonis vaſa ſpectare videatur, linctu etiam pix ipſa vſurpanda. nam quemadmodũ aſſumpta ſæpius terebinthina conducere plurimum ſolet, ita & ipſa quoq; pix, quę VIII. de ſimpl. medicam. facult. in hunc vſum à Galeno proponitur. Si verò ad leues pertineat arterias, quà per thoracem excurrunt arteriæ præcipuè admouenda. iis quoq; vtendum, quæ extenuãdi vi prædita ſunt, tum iis maxime quę vrinam, ſudoremve eliciunt. Cynæ decoctum, ſalſæ pauliæ, ac ligni quod ſanctum appellant, in his affectibus, quòd egregie extenuent, ſudoremque moueant, nobis probantur. Flatus aut ex melancholico ſanguine eleuatur, aut ex viſcido craſſoque ſucco, vel ex cibis natura flatuoſis, aut calore exiſtente imbecillo prouenit. Melancholicus ſanguis, ſi talis ob exuſti-

Flatus.

onem

onem fiat, quod vt plurimum contingit, Cap. V.
iis primum quæ melancholicum humorem euacuent, caloremq; deinceps amoueant, auxiliandum. Deinde lien, qui sedes est huius ſucci eliquandus. aliàs adnotauimus ex Hippocrate, ſplenis vitio laborantes, non eſſe liquidis medicamẽtis purgandos, ſed iis quæ modice ingeſta plurimum educant. Craſſi, viſcidiq; ſucci, quomodo tractandi, nunc omittimus. Si verò ex cibis flatuoſis oriatur flatus, ab iis cauendum: aut ſi neceſſitas vrgeat, coctionis modo, ac condimentis, vitium omne tollendum. Quæ enim huius naturę ſunt ſi diutius excoquantur, flatum deponere ſolent: ac citius vbi ea fuerint admiſta, quæ excalefaciendi ac flatus diſſipandi vim habent. Ea enim tutius dum coquuntur, quàm dum aſſumuntur admiſceri queunt. Si id ex caloris imbecillitate eueniat, tot erunt curandi rationes, quot cauſæ refrigerationis. nam ſi fuerit humorum abundantia, hi debent imminui. ſi qua euacuatio ſuppreſſa, quæ refrigerationem inferre ſolet, rurſus excitanda. ſi nimia ſpirituum euacuatio ob labores tũ animi tum corporis, ea ſunt offerenda, quæ alere cito poſſunt, & à motu medica-

minibusq; purgantibus, ac sanguinis missione abstinendum. Siue igitur hæ, siue aliæ sint imbecilli caloris causæ, eæ tolli primum debent. Flatus verò actu existens in corpore quomodo dissipandus, nunc dicendum. Primo sedes flatus est inquirenda. si enim sint ventriculus & intestina, facilius educuntur, siue sola sit flatuũ copia, siue adsit, ex qua eleuentur, materia. nam vbi materia ex qua prodeant, adfuerit, tum medicamento purgante opus est; quippe sublata causa quæ spiritũ flatuosum gignit, omnia conquiescunt. sed ante huius exhibitionem, quæ incîdãt & detergeant propinanda sunt. Aqua Tettucciana, aut Porrectanea copiose ingesta, aut per aluum infusa valde confert, nã tum deterget, tum ceterarum aquarum thermalium more, Rasis authoritate, viscerum flatus dissoluit. Si verò solus flatus extiterit, iis quæ calefaciunt simul ac digerunt, euocandus ac dissipandus. dianisum, diacyminum, ac diaspoliticum feliciter exhibentur. Quod si ad inferiora intestina pertineant, per ea quæ per sedẽ iniiciuntur, euacuabuntur ipsi flatus. in quem quidem vsum, furfuris anisi, anethi, fœniculi, cymini decoctum assumi poterit,

terit, oleis camemælino, anethino, ac si sit opus ob frigiditatem rutaceo, aut laurino adiectis. aut enumeratis quidem seminibus veteri oliuarum oleo excoctis. Totus verò venter inferior iisdem inungendus. Si flatus ventriculum exerceat, ipsius ori applicanda remedia, tum quædam pręter enumerata, per os assumuntur, quæ idem præstare possunt; inter quę aqua cinamomi stillatitia, & quæ ardens nuncupatur ex anisorum decoctione ebibuntur. Duo placet hîc adnotare; alterum, sæpe educto flatu ex ventriculo aut intestinis, cordis palpitationem sisti, ne quis forte blatero nos longe, dum hæc tradimus, à cordis palpitatione curanda esse arbitretur. Alterum verò si adhuc in iis partibus, succi ex quibus flatus oriuntur, detineantur, à nullo tam est metuendum, quàm à calore qui eos liquet atq; in flatum vertat, sed digerere non valeat. crassa enim & glutinosa dum calefiunt, flatuosum spiritũ gignere solent, vt XII. meth. cap. postremo Galenus testatur. Quo loci allium egregie, ac omnium plane eduliorum maxime flatum discutere docet, quanuis Dioscorides ex Ruellii versione oppositum affirmare videatur. Est verò ob Gręci co- Cap. V.

dicis deprauationem, vt in ſuis adnotationibus in Dioſcoridem oſtendit Lacuna. Quod nobis ideo dicendum fuit, ne cum allii, excocti tamen, vſum optimũ ad flatus diſcutiẽdos experti ſimus, decepti ab ipſius Dioſcoridis authoritate, eundẽ fugiant. At flatuoſi ſpiritus propriam quandam eſſe curationẽ ex cucurbita cũ flamma copioſa ſubinde admota, eodem loco Galeno obſeruatum eſt. Poteſt verò applicari etiam vbi cum flatu humor quiſpiam coniunctus ſit. nam ventoſus admota cucurbita ſpiritus digeritur, qui verò reliquus eſt humor, deinde vacuatione detruditur. Vbi verò ſi in ventre inferiori flatus abundet, ſit applicanda, non dicit Galenus: author tamen ad Glauconem lib. II. cap. VI. vt vmbilicum cõprehendat. Atq; his præſidiis antequam flatus cor petat, diſſipabitur. Vbi iam cor ipſum aggreſſus fuerit, palpitationem in ipſo ferens, iis tantummodo quę cordi admouentur, vtendum eſt. Dorſo in primis è regione cordis affigenda cucurbitula. Nec Auicennæ nos remoretur authoritas. Siquidem ſi ſanguis abũdet plurimus, iſq; cor inuadere velle videatur, tunc eius palpitationem, ſiue tremorem, vt ille vo-

cat, inducere poteſt. non autem vbi flatus Cap. V.
aut frigidior corporis conſtitutio ſint e-
ius ſymptomatis cauſa. Nec parua, aut cũ
modica flamma applicanda, vt iuniores
quidam cenſuerunt, ad euitandam pal-
pitationis acceſſionem. nam iam ipſa fit
palpitatio, quo tempore niſi valenter fla-
tus euocetur, fruſtra id auxilii tentatur.
Poſt hæc, cum palpitatio ex flatu duplici
ratione deſinere poſſit, vel quod flatus
tranſmittatur ad alias partes, vel quod à
calore cordis attenuetur, diligenter ani-
maduertendum eſt, quid ex admota cu-
curbita ſubſequatur. Manifeſte enim ali-
quando vel tuſſim excitans, aut per cre-
bras eructationes, vel dolore circa iugulũ
excitato, vt ſuperius fieri exemplis oſten-
dimus, erumpens flatus, palpitationi finẽ
impoſuit; ſæpius tamen ob calorem reſo-
lutus euanuit. An verò flatus imminutus
ſit necne ex hoc dignoſcetur, quoniam ſi
ſit imminutus, palpitationis motus rarior
erit, ac minori cum impetu cordis caui-
tates dilatabit. Id vel ex ægri relatu, aut
manu cordi admota patebit. Ac ſi rarius
ac minus cor agitetur, nullum aliud ten-
tandum præſidium. nam paulo poſt vi-
gente cordis calore, reſoluetur totus, ac i-

psa desinet palpitatio; idq; citius si motus cordis qui ex facultate proficiscitur vehemens fuerit ac celer: sin autem motus vehementia ab ipsa flatuosa materia pendentis, atque crebritas intendantur, tunc ea sunt experienda, quæ flatum valentius digerant, ac cito excalefaciant, digerantque. stillatitius vini liquor cordi superdãdus, ac cinnamomi stillatitia aqua, harum enim tanta in corroborando corde vis est ac potentia, vt non modo intro assumptę, sed & foris admotæ reperiantur efficaces. Allia contusa, muscho & ambra additis, vt insuauis tollatur halitus, cataplasmatis more imponuntur. Theriaca item ac Mithridatis antidotum. Quæ etiam naribus, temporibus, ac brachiorum carpis admoueri poterunt. Sanguinis missionem in hoc affectu minime conuenire demonstrauimus supra, dum Altimari sententiã hac de re impugnauimus. Quæ demum ex animi affectionibus excitantur cordis palpitationes, in hunc modum sedantur. nam si perdurauerint adhuc animi motus, aliò sensim colloquii dulcedine, grauitate, authoritate auertẽdus est animus. Interim venæ sectione occurrendum, ad reuulsionem, & frictionibus. Excalefa-

Animi motus.

ctis

ctis etiam externis, si humorum motus ad interna maxime vergat. Alexander Trallianus vomitus ꝓlitione auxiliatur. Quod si vnà cum his quas recensuimus, causis, cordis imbecillitas cõiungatur, eius intemperies corrigenda, ac iis vtendũ quæ proprietate quadam cõferre credũtur. Plinius de Hyęna loquens: *Tremulis, ischiadicis, exilientibus, & quibus cor palpitat, aliquid ex corde mandendũ, ita vt reliquæ partis cinis cũ cerebro hyænæ illinatur.* Sic quoq; mos fuit antiquioribus medicis, in morbis difficilioribus, quarum causas afferre, aut ab inuicem distinguere non nouerãt, peregrina, ac sorte quadam potius iuuãtia pręscribere medicamina. Iam verò quoniam vbique quibus vnaquæque huius accidentis causa remoueatur, conscripta sunt auxilia, libet hîc sermoni finem imponere. Ceterum quid præstiterimus circa eiusdem causas ac dignotionem, quiuis animaduertere poterit.

FINIS.



INDEX RERVM ET LOCORVM, QVÆ IN LIBRIS duobus de Palpitatione cordis occurrunt, locupletissimus.

idq;



S·T·R·

T

sæpe

F I N I S.

Lector candide, dum indicis excerpendi caussa hos libros percurrimus, quædam ab operis inuecta σφάλματα restare obiter animaduertimus. Ea quamuis leuia & non ita magni ferè momenti, hîc tamen in tui gratiam subiicere voluimus, & ne, quantum in nobis esset, eruditiss. auctori fraudi esset quidquam. Pag. itaq; 15. & 25 in paginæ inscriptione scribe DE. pag. 18, vers. 4 & 5. scr. dolorifica 21, v. 3 à fine, ἐνζῶνται 36,15 in spiratu 42,15 πνευματοῦνται 45,3 est. Sed 54,10 appareat, in op. 60,2 μέλλοντος v. 19 πήδησις 82; 9,10 veterum lectioni 87,1 tum possit ind. 98, v. 5 à f. αἷμα 178,11 tenue.

